



J. N. Funccius, Cass.
A. 1746.

£bc.12

**SYMBOLÆ
LITERARIAÆ
AD
INCREMENTUM
SCIENTIARUM OMNE GENUS
A
VARIIS AMICE COLLATÆ.
TOMI SECUNDI
PARS IV.**



B R E M Æ
Sumptibus GERH. WILH. RUMPII.
Anno MDCCXLVI.

SYMBOLAE
THEATRUM
AD
INCREDIBILIA
SCENARUM OMNIS GENUS
ARTE PICTORIÆ CALLIGRAPHICÆ
TOMVS SECUNDVS
PARVUS



SYMBOLAE
THEATRUM
AD
INCREDIBILIA
SCENARUM OMNIS GENUS
ARTE PICTORIÆ CALLIGRAPHICÆ
TOMVS SECUNDVS
PARVUS


REPRÆSENTATUR
QUARTA HAC PARTE
TOMI SECUNDI:

- I. JOH. NICOLAI FUNCII
Marburgensis DISSERTATIO DE PRO-
CONSULARI DIGNITATE, p. 581.-647.


*** *** ***

- II. HENRICI HEISEN DISSE-
TATIO POSTERIOR DE IMPERATORIA
MAJESTATE, A PRIMIS HISTORIE AV-
GVSTÆ CONDITORIBVS INDIGNISSIME
HABITA, p. 647. - 776.

III.



III. INDICES IN VNIVERSVM HVNG
TOMVM SECUNDVM.



REICHENBERG
HISTORIA
MUNSTER, A LIPSIENSIS HISTORIA AV
GELATI CONSTITUTIONE INDIGENARIA
HANSA

I.

JOH. NICOLAI FVNCCII
MARBURGENSIS
DISSERTATIO
DE
PROCONSVLARI
DIGNITATE.

CONSPPECTVS.

§. I. **C**onsulatus Romæ sicut summa dignitas. 2. Proconsulatus origo. 3. Proconsulibus prouinciae tradebantur administrandæ. 4. An consulum loco, ut illis subiecti essent. 5. Proconsulatus examinatur denominatio. 6. Qui pro consule, & qui 7. proconsules in prouincias mittebantur. 8. An magistratus sint, atque habeant auspicia. 9. Pro, in compositione, particulam, ipsius vocis augere non minuere dignitatem. 10. Ex senatusconsulto, vel etiam ex Tom. II. P. IV. Q. q. ple-

plebiscito, proconsules soriri, aut inter se
comparare provincias constituisse. 11. Consu-
les nominari praetores, proconsules vero etiam
pristinum tenere consulis nomen. 12. Quibus-
cum praetoris nomen habeant commune. 13.
Rome consules atque proconsules in prouinciis
dignitate fuisse pares. 14. Consules Rome duos,
in prouincia proconsul unus componuntur. 15.
Rome penes S. P. Q. R. erat summa potestas.
16. In prouincias proconsules cum potestate &
imperio proficisciabantur. 17. Hi eniori vte-
bantur libertate, & pro lubitu in decretas sibi
prouincias ibant. 18. Sed ultra constitutum
tempus, nisi prorogato imperio, in illis manere
non poterant. 19. In causis ciuilibus jurisdictionem a consulibus ad praetores transisse. 20.
Proconsulis jurisdictionem in prouincia amplissimam fuisse. 21. Cui etiam mandata simul
omnia, quae magistratibus Rome singulis fue-
runt manera. 22. Consulis erat consulere se-
natum & neque si intercederetur, senatuscon-
sultum fieri poterat. 23. A proconsule nulla
prouocatio. 24. Rebus bene gestis, proconsuli
non minus, quam consuli decernebatur triumphus. 25. Corona piæaque toga triumphan-
tium propria. 26. Sed grauis malos redeun-
tes manebat pena.

§. I.

§. I.

Regibus exactis, Romæ summus Consulis magistratus erat: qui enim Regibus electi succedebant: illorum cum pleno jure sibi vindicabant imperium, quod OVIDIVS^{a)} sumnum vocat. Vnde Græci consules, sua lingua, ὑπάτες verterunt, quod summi essent; vim intuentes imperii ac potestatis. Nam quidquid excellens & sumnum ὑπάτων appellabant. b) Ut consules illam representarent majestatem regiam: corona togaque picta exceptis, c) lictores cum fascibus, trabeam, prætextam, sellam curulem, ceteraque regum insignia seruabant. Hinc LIVIVS: d) omnia jura, omnia insignia primi consules tenuere. Id tantum cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Designati comitiis centuriatis, cum amplissimo voto, ut ipsis, magistratui, & populo Romanø, bene ac feliciter eueniret, eis, qui comitia habebat, consulis voce, in annum sequentem consul renuntiabatur & declara-

Q. 2. ba-

a) Ex Ponto 1. 4. eleg. 1. v. 65.

b) Vid. DIONYSIVS HAL. Roman. antiqu. 1. 4. c. 10 p. m. 402.

c) Libera sc. sep. Subimperatoribus toga picta, siue palmata, etiam erat consulum, quoties magistratum inibant, ipsis januarii Kalendis.

d) Lib. 2. c. 1.

batur. e) Deinde senatus populusque Romanus circa ædes recens creatorum consulū conueniebant, & illos salutabant; f) in Capitolium deducebant; g) vbi diis immolabant, h) &, sacrificiis finitis, a Capitolio in curiam comitabantur, atque superis agebant gratias. i) Quibus peractis, domum proficisciabantur maxima hominum multitudine, ac toto comitante senatu. k) Cum promiscua gratulacionum officia exciperent: laureis maiorum imagines coronabant. l) Sub finem quindecim designati quinque fere menses viuebant priuati, antequam Kalendis Januarii magistratum inirent: &, quia ab illis numerabatur annus, annum aperire fastosque referare dicebantur. m) Publice ad senatum scriptas accipiebant literas. Se-

na-

e) CICERO orat. pro Mur. c. 1. BRISSONIVS de Forarlis l. 2. c. 11. p. m. 124. seq.
f) CLAVIJANVS in Eutrop. l. 2. v. 63.

Vulgata iatebat
Aula salutantum studis: hic plebe senatus
Permista, trepidique uices omnisque potestas.

- g) OVIDIVS ex Ponti l. 4. eleg. 9. v. 17.
h) Idem l. c. eleg. 4. v. 29. & eleg. 9. v. 28.
i) Idem ex Ponto l. 4. eleg. 4. v. 35.
k) Ibid. v. 41.
l) CICERO orat. pro Mur. c. 41.
m) PLINIVS paneg. c. 58. CASSIODORVS var. l. 2. c. 1. & l. 5. c. 1.

natum convocabant. Res maximi momenti ad senatum referebant. Primi dicebant sententiam. In senatu discessio nem faciebant, i. e. sententias, quas senatores rogati dixerant, proponentes, in diuersas abire jubebant, vt, facta discessione, senatorum voluntas & plurimorum suffragia apparerent. Si quando sententiam senatoris alicuius improbarent, quod aut amici hominis rationibus aduersariam, aut inimico honorificam atque vtilem ducerent, ne in eam senatusconsultum fieret, non pronunciabant. n) Sic L. Lentulus consul, qui Pompeio studebat, Cæsaris contra honoris acriter aduersabatur, sententiam Calidii, qui neutram in partem propensus æqua senferat, se omnino pronuntiaturum negauit. Etiam senatusconsultum ne fierent, intercedere, poterant. LIVIVS : o) *inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus consul, cui clas sis prouincia erat, senatusconsulto intercesit.* Non ergo tribuni plebis tantum intercedere poterant; sed omnes etiam illi, qui eadem potestate, vel maiore essent, quam qui senatusconsultum facere volebant. p) Neque solum consules jus habendi sena-

Q q 3

tus,

n) MANVTIVS de senatu Romano, p. m. 344.

o) Lib. 30. c. 43.

p) A. GELLIVS noct. Attic. l. 14. c. 7. Conf. MA-
NTIVS de senatu Romano p. m. 357.

tus, verum etiam ad comitia conuocandi populum, siue curiata, siue centuriata vellent. Longe vero maxima consulum Romanorum fuit dignitas, quod principes & capita reip. communem omnium tuerentur salutem ciuium, libertatem defenserent, ac forti manu propellerent hostes. Si quod ergo cum exteris gentibus bellum esset gerendum: exercitus ducebant, atque animum fape, nisi victricibus superarent armis, acie stantes intrepidi pro populo deuouebant.

§. II.

Cum paruis imperium Italæ limitibus contineretur, neque plures simul Romanos laceßerent hostes: duo exercitus ducendis sufficiebant consules: ut proconsulū non opus haberent prorogare imperium, nedum eos mittere in prouincias, e vicinia haud difficulter aduersus quoscunque hostium insultus defendendas. Sic virorum consularium, nisi in senatu, prorsus nulla habebatur ratio. Sed aucto in dies magis magisque Romanorum imperio, maior illorum extra pomœria in prouinciis longe dissitis statuenda auctoritas, quorum fide ac virtute solum sarta tecta poterat esse reip. maiestas. Sic sensim sine sensu necesitas in prouinciis pra-

prætorum suppeditauit vsum: de quorum
 origine, quantum constat, diserte nihil
 veterum monumentis legitur memoriam
 proditum. Nisi me fallunt omnia, Pro-
 consulum facta primum est mentio anno
 ab V. C. CCLXXV. L. Æmilio & C. Ser-
 uilio coſſ. Cum enim bellum hinc inde mo-
 uerent Volsci & Æqui: Etruria etiam di-
 ceretur omnis ad opem Veientibus feren-
 dam in bellum Romanum conspirasse: vi-
 sum est senatu, tres eo anno conſcribe-
 re exercitus. Cum his L. Æmilius con-
 ſul aduersus Etruscos, alter consul C. Ser-
 uilius contra Volscos eſt miſus: Sp. Fu-
 riū autem, qui ante biennium consul
 fuerat, tertium exercitum proconsul in
 Æquos duxit. Cæſo Fabius, anni ſuperioris
 consul, magistratu functus gentili
 bello, quod ad Cremeram ipſius aufſiciis
 ſuceptum erat, noadum vero confeſtum,
 ut ſibi intereffe liceret, a ſenatu petiit.
 Hoe illi conceditur, proconsulari addita
 potestate. Sp. Furius proconsul non mi-
 nus feliciter, quam celeriter bellum con-
 fecit. Vno enim prælio fudit Æ-
 quos, ac fugauit primo congressu ter-
 ritos, deinde agros eorum vastauit.
 Seruilius autem temere cum Volscis
 congressus, intra caſtra ſemet con-
 tinere, & longius bellum ducere coa-
 etus

Q q 4

588 Joh. Nicolai Funcii Dissertatio

ctus est. q) Hinc conjicimus , bellorum atrocitate perterritum populum Romanum , ex auctoritate senatus , præter consules , quæsiuisse alios belli duces : atque adeo fines suos præfidiis maioribus tutari , ducesque extraordinariorum exercituum noua proconsulatus potestate ornare cœpisse . LIVIVS ante proconsulatus non meminit , quam anno vrbis CCLXXXIX . A. Postumio & Sp. Furio coss. proelio contra Äquos Sp. Furii consulis ductu infelicititer commisso , maximoque vrbi illato terrore . Tum enim A. Postumio , consul alteri , qui vrbe remanserat , negotium datur , vti videret , ne quid detrimenti resp. caperet . Ipsum consulem Romanæ manere , ad conscribendos omnes , qui arma ferre possent , consultum videtur ; T. Quinctium Barbatum vero proconsulem cum sociali exercitu , castris obsessis subsidio mitti . r) Quæ cum ita sint , forsitan etiam proconsules reperiantur antiquiores , mirum videri posset , quod in fastis & triumphis Romanorum Capitulo

q) Vid. DIONYSIUS HALIC. Roman. antiq. l. 9. c. I.

r) Vid. LIVIVS l. 3. c. 4. Confer. DIONYSIUS HALIC. Roman. antiq. l. 9. c. 12.

tolinis s) ad A. V. CCCCXXVII. triumphus notetur Q. Publilii Philonis, primi proconsulis, de Palæopolitaneis. LIVIVS t)
rem clarius exponit: *actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut quum Publilius Philo consulatu abiisset, proconsul rem gereret, quo ad debellatum cum Græcis esset.* Paulo post:
v) Publilio triumphus decretus: quod satis credebatur obsidione domitos hostes in fidem venisse. Duo singularia hæc ei viro primum contingere: prorogatio imperii non ante in ullo facta, & acto honore triumphas. Discimus inde quidem, proconsulum Publilio omnium primo imperium fuisse prorogatum, atque triumphum, proconsulatu finito, decreatum. Proconsulari vero ante eum plures fuisse dignitate, ex superioribus obscurum nemini esse potest. Atque consules iam tum de prouinciis constituerant. Ita enim LIVIVS: x) *Inter consules prouinciis comparatis, bello Græci persequendi Publilio euenerunt: Cornelius altero exercitu Samnitibus, si qua se mouerent, oppositus.*

Qq 5

§. III.

s) Vid. CAR. SIGONII comment. in fast. & triumph. Rom. apud SYLBVRGIVM historie R^{er}manæ scriptoribus Latinis tom. I. p. 75.

t) Lib. 8. c. 23.

v) Lib. 8. c. 26. extr.

x) Lib. 8. c. 22. extr.

§. III.

Proconsulibus administranda decernēbatur *prouincia*: quæ FESTO y) videtur dicta fuisse, quod populus Romanus eam prouicit; i. e. ante vicit: vt gubernatores *proconsules*, qui ante fuerant consules. Alii dictam volunt, quasi procul victam. z) Cum enim Romana potentia semet extra Italiam, subactis populis, extenderet: regiones primum ab Italia disritis atque in potestatem suam redactas, vt legibus imperioque parerent, prouincias appellare cœperunt. Et quoniam præfecti ad eas gubernandas cum imperio mitti solebant: factum est, vt onus ipsis impositum appellaretur etiam prouincia. Hinc translatæ ad quæcunque alia negotia vocis significatio: vt vnum idemque sit dare prouinciam atque negotium alicui. a) TERRENTIVS: b) O Geta! prouinciam cepisti duram. Alibi: c) idcirco huic nostro tradita est

y) *V. prouinciae.*

z) Hinc HEGESIPPVS: Romani, cum in ius suum vincendo redigerent procul positas regiones, appellauere prouincias. Confer. SIGONIVS de antiquo jure prouinciarum l. 1. c. 1. Et PIGHIVS annalibus magistratum & prouinciarum S. P. Q. R. lib. 2. p. 108.

a) CICERO in Verrem l. 4. c. 23.

b) Phorm. A. 1. S. 2. v. 22.

c) Heaut. A. 3. S. 2. v. 5.

est prouincia. Prima prouincia Sicilia *est appellata*, cum se ad amicitiam fidemque populi Romani applicuisset. d) Inde CICERONIS e) egregia commendatio : *cum omnium sociorum prouinciarumque rationem diligenter habere debetis, tam praecipue Siciliae, judices, plurimis justissimisque de causis : pri-*num, quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia *se ad amicitiam fidemque populi Romani applicuit* : prima omnium, id quod ornamentum imperii *est*, prouincia *est appellata*: prima docuit maiores nostros, quam praeclarum *effet*, exteris gentibus imperare. -- Itaque maioribus nostris in Africam ex hac prouincia gradus imperii factus *est*. De prouinciis, ne quid vterius commentari instituamus, ALEXANDER AB ALEXANDRO f) & CAROLVS SIGONIVS g) consulendi sunt.

§. IV.

Communis fere omnium, sed falsa persuasio *est*, proconsules, qui cum imperio, & consulari dignitate, regendis tueris que prouinciis praeerant, consulum

19-

d) Vid. VELLEIVS, l. 2. c. 38. n. 2.

e) In Verrem l. 2. c. 1.

f) Genial. dier. l. 2. c. 27. p. 250. seqq. cum ANDR. TIRAQVELLI seneſtibus.

g) De antiquo jure prouinciarum.

loco esse, tantoque illis auctoritate & honore inferiores. ISIDORVS, h) proconsules, inquit, subjecti erant consulibus, & dicti proconsules eo, quod vice consulis fungentur: sicut procurator curatoris, i. e. actoris. Sic quoque, incautus erroris, SAMVEL PITISCVS: i) dicebantur praetores & proconsules, ut innueretur, annum præturae consularis eorum tempus expirasse, eosque iam alienas nouorum prætorum ac consulium, alii negotiis occupatorum vices gerere in provinciis. Neque saniora sunt, quæ paulo post, ad eam vocem declarandam, tradit: k) Pro consule dicebantur esse, qui erant consulari imperio. Hoc enim vocabulum de iis solitum dici videtur, qui extra ordinem, velut consulis loco mittebantur. Rei prorsus nihil est proconsuli cum Romano consule: tantumque abest ut eius loco prouinciam administraret. Operæ hinc putamus esse pretium, ex ipsis reip. Romanæ melioribus documentis demonstrare, Proconsulis in prouincia non minorem, quam ipius Romæ consulis esse dignitatem.

§. V.

Quod ad proconsulis nomen attinet, varie inter se disceptarunt, qui Latinæ linguae

h) Orig. I. 9. c. 3.

i) Lex. Roman. antiqu. v. consul. vol. I. p. 553.

k) Pag. 556.

guæ castitatem velut in clientelam suscep-
perunt. Malunt *pro consule*, *pro prætore*,
pro quæstore, vi præpositionis, Latine di-
cere: atque non contemnenda proferunt
assertionis argumenta. Omnia accura-
tissime PAVLVS MANVTIVS l) affirmat,
cum Suetonius & Plinius *proconsulatus*,
Gellius & Val. Maximus *proconsulare*, uno
verbo dixerint, *proconsul* dicendum esse,
& coniuncte semper scribendum, ut va-
rietur cum antecedente nomine, hoc
modo, *Lentuli proconsulis*, *Lentulo pro-*
consuli &c. Analogia quoque est in voci-
bus aliis, *pronepos*, *proauus*, *procurator*, &
similibus. D. AVGVSTINVS m) auctor
est, sua atate, non *proconsul*, sed *procon-*
sule, nominandi casu, usitatum fuisse; ve-
teres autem, non *proconsule*, sed *procon-*
sur, unico verbo dixisse, attendentes, nul-
lum nomen apud Latinos virilis generis
in E. exire. Quasi vero *proconsule*, non
habita præpositionis ratione, nominandi
casu ponatur. Verius, quod PRISCA-
NVS n) docet: *præpositionis proprium est*,
separatim quidem per appositionem casualibus
præ-

l) Comment. in Cicer. ad famil. I. i. ep. 1. init.
Confer. PIJGHIVS annal. magistratum & pro-
uinciam. S. P. Q. R. lib. 2. p. 108.

m) In libr. de grammatica.

n) De octo partibus orationis I. 2. oper. p. m. 20.

præponi, ut de rege, apud amicum : coniunctim vero per compositionem, tam cum habentibus casus, quam cum non habentibus, ut indocilus, interitus, intercurro, proconsul, induco, inspiens, inspiciens. Veteres Romani vulgo notissima monumentis suis exprimere solebant scripturæ compendio, sive notis, quarum interpretationes derunt multi. Sic inuenies pas sim PROC. PROCO S. PRO. COS. Vel ex notissimis cuique haud difficulter patebit, promiscue veteres *proconsulem* & *pro consule* prouinciarum praefides nominare solitos fuisse. Attamen notanda vocum insignis differentia. Et, nisi me omnia fallunt, qui *pro consule* mittebatur, *proconsul* non erat. Est enim, vi vocis, hic, qui ante consul fuerat, eaque dignitate proficisciatur in prouinciam, ille, qui licet consulari ante non fuerit dignitate, consulis tamen mittitur loco. Quamuis ergo ex prætura, alioue magistratu, *pro consule* aliquis esset : *proconsul* tamen dici non poterat, qui, gesto consulatu, in prouinciam, sibi decretam, ire solebat. At qui *pro consule*, vel honoris gratia, etiam dictos *proconsules*, inficias ire nolim.

§. VI.

Sæpius in prouincias, vel aduersus hostes *pro consuls* mittebatur, qui ante consul

ful ipse non fuerat: vt consulis esset loco.
 Sed paulo is deterioris fuit conditionis,
 &, rebus pro patria optime gestis,
 non potuit ducere triumphum. Ita L.
 Cornelius Lentulus proconsul ex Hispania,
 cum in senatu res ab se per multos
 annos fortiter ac feliciter gestas exposuis-
 set, ac postulasset vt triumphanti sibi inue-
 hi liceret in urbem: *res triumpho dignas esse,*
censebat senatus: sed exemplum a maioribus
non accepisse: vt qui neque dictator, neque con-
sil, neque prætor, res gesisset, triumpharet.
Pro consule illum Hispaniam prouinciam, non
consulēm, aut prætorem obtinuisse. o) Ex
 quibus LIVII verbis facile cuique patet,
 proconsulem atque proprætorem, etiam
 consulis & prætoris nomina retinere: illi
 enim post consulatum ac præturam pro-
 uincias tandem obtainent. Gellius pro
 consule ex prætura in Græciam venit. p)
 M. TVLLIUS de Pompeio, q) *quid, in-*
quit, tam inusitatum, quam vt cum duo con-
sules clarissimi fortissimique essent, eques Ro-
manus ad bellum maximum formidolosissimum
que pro consule mitteretur? missus est: quo
quidem tempore, cum esset non nemo in senatu,
qui diceret, non oportere mitti hominem priua-
tum

o) LIVIUS l. 31. c. 20.

p) CICERO de legibus l. 1. c. 20.

q) Orat. pro lege Manilia c. 21.

tum pro consule ; L. Philippus dixisse dicitur, non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere. Alibi : r) Populus Romanus consuli potius Crasso, quam priuato Africano bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeii imperiis -- tribuni pl. turbulentii tulerunt. Nam Sertorianum bellum a senatu priuato datum est, quia consules recusabant : cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule. --- Clarissimo viro atque innocentissimo decreuit imperium, priuato tamen. Antequam consulatum gesit, Q. Metellus Celer, ex prætura, pro consule fuit in transalpina Gallia. s) Et C. Cassius, qui consul nunquam fuit, sed ex prætura, in Syriam profectus est pro consule, t) Exempla in re vulgo notissima, ad naufragium usque, PAVL. MANVTIVS, v) & CAROLVS SIGONIVS x) cumularunt. Atqui etiam hi, quod cum imperio essent, non ab Romani consulis arbitrio dependebant, sed pro lubitum agebant in prouinciis : ut nullare viderentur deterioris esse conditionis, nisi quod, vicitis

r) Orat. Philipp. 11. c. 8.

s) Vid. CICER. ad diuerf. I. §. epift. 1. & 2. Confer. PLINIUS hist. natur. I. 2. c. 67.

t) CICER. ad diuerf. I. 12. epift. 11. & 12. init.

v) Comment. ad Cicer. famil. I. 1. epift. 1. init.

x) De antiquo iure prouinciarum I. 2. c. I. p. m. 133. seqq.

victis hostibus, vel maxima cum laude
in urbem reuertentibus illis triumphi sum-
mus honor non decerneretur.

§. VII.

Sed *proconsul*, ipse fuerat ante *consul*,
eaque dignitate ad prouinciam consula-
rem gubernandam proficisebatur: neque
proconsules nominabantur, quod alienas
nouorum consulum, aliis negotiis occu-
patorum vices gererent in prouinciis: qui-
bus reip. nomine praeerant cum imperio:
& omnium minime dependebant a con-
sulum Romanorum arbitrio. De rep. li-
bera haec dicta sunt. Sub Cæsaribus ut
commutata sunt omnia: proconsulum ra-
tio quoque fuit longe alia. Cum enim,
statu regiminis monarchico, unus rerum
potiretur: facilis conjectura est, prouin-
ciarum rectores, quotquot fuerant, ab
vnus Romani imperatoris arbitrio depen-
disse: ut nouam a Cæsare factam de pro-
consulari dignitate constitutionem legi-
mus. y) At vetus prouinciarum admi-
nistrandarum a primis reip. temporibus
forma haec fuit, ut consules atque praeto-
res, inito magistratu, statim fortarentur,
T. II. P. IV. Rr. vel

y) Apud DIONEM CASSIVM, l. 53. p. m. 577.
seqq.

vel inter se compararent prouincias, quas
senatus decreuit, vt in eas cum imperio
proficiscerentur. Annuo autem sui magi-
stratus tempore finito, succedebant ma-
gistratus anni sequentis, nisi consultum
videretur senatui populoque Romano, a-
licui prorogare prouinciam: quod postea
sapius vsu venit. Neque ad præfectos
prouinciales designandos opus fuisset
comitiis: si hæc ordinaria ratio
semper constare potuisset. Crescen-
tibus vero cum imperii mole gen-
tium finitimarum bellis: vt consules at-
que prætores ordinarii non sufficerent: o-
pus aliquando erat extraordinaria potesta-
te, ad exercitum ducendum, vel prouin-
ciam consulis aut prætoris loco admini-
strandam. Hi, nisi me fallunt omnia,
pro consulibus, aut pro prætoribus; illi
proconsules aut proprætores agere dice-
bantur.

§. VIII.

Sic probe obseruandum est, num ali-
quis e magistratu, i.e. consulatu, aut præ-
tura, proconsul aut proprætor, an sine
magistratu priuatus, atque adeo sine au-
spiciis, pro consule, aut pro prætore in
prouinciam missus fuerit. Qui non bene
distinguunt, plurimum videmus procon-
sulari derogare dignitati, confundere,
ac

ac intricare omnia. Neque satis mirari possum, illos quoque maximi nominis antiquarios, ALEXANDRVM AB ALEXANDRO, z) CAROLVM SIGONIVM, a) STEPHANVM VINANDVM PIGHIVM, b) qui hos principes sequuntur, incautos erroris omnes, negare, proconsules aut proprætores e magistratibus esse, neque auspicia habere, quippe inauspicati essent, quum consules prætoresque auspicia haberent maxima. Auspicia profecto maxima habebant centuriatis comitiis designati magistratus maiores, consules atque prætores, qui finito magistratu anno, eademque prorogata dignitate, ut plurimum, curiata lege, imperium etiam cum potestate coniungebant, c) in provincias sibi decretas paludati proficiscebantur, & rebus fortiter gestis, facilime sine cuiusquam contradictione consequerentur triumphum. Hoc enim testantur

R r 2 omnia

z) Genial. diet. 1. 2. c. 27. p. m. 249.

a) Comment. ad Liuii l. 28. c. 38. Editione recentiori Gronouiana tom. 2. p. 790. seq.

b) Annal. magistratum & prouinciarum S. P. Q. R. lib. 2. p. 108 & 109.

c) FESTVS v. Cum. Cum imperio esse dicebat: si apud antiquos, cui nominatio a populo dabatur imperium. — Cum potestate esse dicebatur de eo, qui a populo alicui negotio preficiebatur. Hoc de magistratu urbano; illud de re militari administranda valebat.

omnia veterum monumenta suavisimo consensu. Nec obstat CICERONIS d) illud: *Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato, noluissent.* Quam multi anni sunt, cum bella a prætoribus & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Itaque nec omnes transiunt auspicato, nec triplio auspicantur. Militat pro nobis, vsumque demonstrat auspiciorum in re militari, consuetudine & more maiorum esse necessarium: tot vero extraordinariis multorum etiam priuatorum imperiis, qui pro prætoribus, aut pro consulibus mittantur, indicat vulgo negligi. Neque enim nisi magistratus habebant auspicia, eaque maiora, si maiores, vel minora, si minores essent. Magistratus retinere dignitatem, qui ex eo in decretas sibi prouincias proficiscuntur, nullum est dubium. An proconsules & prætores, qui ex priuatis ad bella misi sunt, ut cum imperio, sic cum magistratu fuerint, SIGONIVS e) longam disputationem instituit. Eaque rursum probe diuidenda est quæstio. Omnino magistratus erat, etiamsi vitam Romæ vixerit priuatum, qui, pro consule, in prouincia iurisdictionem administrare, forum agere, constituere, &

d) Definitione l. 2. c. 36.

e) De antiquo iure prouinciarum l. 3. c. 14.

& iudicare debebat. f) Sed prouincialis erat, minime vero gentium vrbanus magistratus. Hunc vero esse voluerunt, aut fuisse, qui vrbis summum honorem, i. e. triumphum, sibi ex prouincia decerni pettiuit. Si ergo ante consules, aut prætores fuerunt Romæ, atque in prouinciis res e rep. fortiter gesserunt, cum ad vrbem essent proconsules aut prætatores, atque triumphum peterent, desideratus illis non poterat negari honor. Priuatis, quibus extra ordinem prouincia cum imperio obtigit pro consule, licet victricibus hostes subegerint armis, atque res optime gesserint, triumphus nunquam concedebatur. Hinc LIVIVS, g) de P. Scipione ex Hispania viçtore: *magis tanta est triumphi spes, quam petita pertinaciter: quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat.* Idem h) de L. Lentulo: *res triumpho dignas esse, censebat senatus, sed exemplum a maioribus non accepisse, vt qui neque dictator, neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet.* Pro consule illum Hispaniam, non consulem aut prætorem obtinuisse. Decurrebat tamen eo, vt ouans vrbem iniaret, intercedente T. Sempronio.

Rr 3

nro.

f) Confer. FESTVS, v. *magisterare.*

g) Lib. 28. c. 38.

h) Lib. 31. c. 20.

nio Longo, tribuno plebis, qui nihil magis id more maiorum, aut ullo exemplo futurum dicebat: postremo viclus consensu patrum tribunus cessit. Et ex S. C. L. Lentulus ouans verbem ingressus est. Sic passim Liuius demonstrat, cur ii, qui ex priuatis, pro consulibus fuissent, rebus licet bene gestis, non triumpharint: quos sine magistratu, atque adeo sine auspiciis, fuissent. Longe alia eorum est ratio, qui ex magistratu, atque adeo non sine maioribus auspiciis, proconsules, aut proprætores in provincias profecti erant: quos non adeo difficulter ad triumphi lauream peruenisse, STEPHANVS VINANDVS PIGHIVS i) ipse fatetur.

§. IX.

Pro particula in compositione, proconsulis dignitatem augeri magis, quam minui, vel inde patet: quod proconsule, vel proprætore e prouincia, post annum confectum munus, decedente, antequam eius venisset successor, suo loco ut prouinciarum præfet, constitutus quaestor etiam proquestor nominabatur. Ecquis dixerit, ea summa auctoritatis accessione, illum de-

i) Annal. magistratum & prouinciarum S. P. Q.
R. lib. 2. p. 109.

deterioris, quam ante fuerat, factum esse conditionis? Ita Sallustius Bibuli proconsulis in Syria fuit quæstor: cum vero ex ea prouincia Bibulus decederet, M. TVLLIUS k) literas ad Sallustium proquæstorem scripsit: quamuis, quod scio, MANVTIVS *procons.* legere mallet. Imo P. Lentulus P. F. proquæstor, etiam prætoris nomen, ex administratione prouinciæ accepit, quamuis ipse prætor nondum fuit. l) Omnia quoque exemplo M. TVLLIUS, m) proconsul in Cilicia, decedens, quæstorem Cœlum præposuit prouinciæ: ac Thermo præprætori suadet, n) ut e prouincia decedens, suo loco non quæstorium legatum, sed quæstorem suum relinquat: alioqui magna hominem ignominia affecturum. P. Sextius cum C. Antonio proconsule quæstor in Macedoniam prefectus, atque in ea prouincia, reuocato Antonio, gubernator relictus est: quem CICERO o) proquæstorem vocat, & operam dedisse scribit, ne illi succederetur, in quæstura scilicet, cum

Rr 4

Ma-

- k) Ad diuers. l. 2. epist. 17. inscript.
- l) CICER. ad diuers. l. 12. epist. 15. inscript.
- m) Ad diuers. l. 2. epist. 15. n. 4. Ad Atticum 1^o
6. epist. 3.
- n) Ad diuers. l. 2. epist. 18.
- o) Ad diuers. l. 5. epist. 6. init.

Macedoniaꝝ præsset. Quꝝ CORRADVS p) & MANVTIVS q) de proconsulatu disputant, nullius videntur esse momenti; certe contra fidem meliorum codicunꝫ proferuntur. Si quis fors an persuaserit sibi, *proquestorem* esse dictum, quod annum eius quoque munus absolutum, atque in successorem a populo Romano deuolutum: etiamsi priuata pr toris sui auctoritate fuerit relictus, vt eius teneret locum: scito, qu stores permanisse omnes, donec in ipsa vrbe, coram qu storibus urbanis, i. e. populo Romano r) rationes retulissent.

§. X.

Simul atque consul erat aliquis in comitiis centuriatis designatus: sortiri quoque poterat senatusconsulto, prouinciam: vt illi post consulatum præsset: atque adeo consularis dignitas in prouincia prorogaretur succedenti. Hinc CICERO: s) *quid agis, Hortensi? consul es designatus:*

pre

p) Ad h. I.

q) Ad hunc & superiora Cicer. loca, atque in primis ad l. 1. epist. 1. init.

r) CICERO ad diuers. l. 2. epist. 17. n. 6.

s) Oratione frumentaria, sive in Verrem l. 3. c. 95

prouinciam sortitus es. Magis diserte alibi:
t) legem quam non putat, eam quoque seruat.
Præfinit enim successori diem, qui mibi nihil vi-
detur minus a dignitate disciplinaque maiorum
disidere, quam ut qui consul Kalendis Janu-
arii habere prouinciam debet, is ut eam despon-
sam, non decretam habere videatur. Fuerit
toto in consulatu sine prouincia, cui fuerit,
antequam designatus esset, prouincia decreta,
sortietur, an non? Et quæ sequuntur. Cæ-
sare atque Bibulo remp. capessentibus, ab
optimatibus data est opera, vt prouinciæ
futuris consulibus minimi negotii decer-
nerentur. v) Vetustissima lege senatus
Romanus prouincias in potestate sua ha-
bebat: vt quas prætorias, quas consulares
esse vellet, ipse quotannis statueret, pro
lubitu iudicioque suo. Postquam vero
consules, aut prætores, designati, certe
simil ac magistratum inierant, ad sena-
tum de prouinciis retulissent, esse, quæ
tumultuatae fuerint, aut ab hostibus vici-
nis tentatas præsentissimum exspectare a
consulibus & rep. auxilium: illas fere
consulibus, reliquas prætoribus decerne-
bant. In eam rem facto senatus consulto,
prætorias prætores, consulares consules
sortiri, vel etiam hi, quod inter duos

R r s fa-

t) De prouinciis consularibus. c. 15.

v) Teste SVETONIO Jul. Cæs. c. 19.

facile transfigi poterat, inter se comparare solebant: vel etiam, quod raro vnu venit, senatus ipse nominatim cuique suam destinabat. Sic prouinciam a senatu quidem; imperium militare vero, siue consul, siue prator esset, populi beneficio & suffragiis, i. e. lege curiata, de qua inferius agenius, ad summum honorem prosequendum, obtinuisse leguntur. x) Ratio plane extraordinaria fuit, si quando magistratibus aliis, vel etiam priuatis nominatim prouinciaz vna cum imperio, tributis comitiis, committebantur, aut in plures annos imperium illis prorogabatur. Fuerunt aliquando ex magistratibus homines imperii tam cupidi, vt nisi prouincias ab senatu obtinuerint, de illis ad populum non dubitauerint referre. LIVIO teste, y) cum Africanam nouam prouinciam extra sortem P. Scipioni destinari, homines fama ferrent: & ipse nulla iam modica gloria contentus, non ad gerendum modo bellum, sed ad finiendum diceret se consulem declaratum esse: neque aliter finiri id posse, quam si ipse in Africanam exercitum transportasset: & acturum se id per populum aperte fer-

x) Ex LIVIO rerum testimonia cumulauit SIGONIUS de antiquo iure prouinciarum l. 2. c. 1. p. nr. 125. seqq.

y) Lib. 28. c. 40. init.

ferret, si senatus aduersaretur. Deinde: z) vulgatum erat, si apud senatum non obtinueret, ut prouincia Asia sibi (Scipioni) decerneretur, ad populum extempro laturum. Et quæ sequuntur. a) C. Sempronii Gracchi subsecuta lex est: vt prouinciarum futuris prætoribus ac consulibus quotannis a senatu decernerentur; ita quidem vt prætoriarum decreto intercedi liceret, consularium non liceret. Meminit huius legis SALLVSTIVS, b) & omnium accuratissime CICERO c) vi legis huius in Clodium inuehitur: *tu prouincias consulares, quas G. Gracchus, qui vnu maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab senatu, sed etiam, vt necesse esset quotannis constitui, per senatum, decreta lege sanxit: eas lege Sempronia per senatum decretas, rescidiſti. Extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed reip. p[ro]fessib[us]. Alibi: d) decernendæ nobis sunt lege Sempronia duæ &c.* Post multa alia: e) faciam, inquit, illas pretorias, ut Pisoni & Gabinio succedatur statim. Si hic finat. Tum enim tribunus inter-

z) L. cit. c. 45^o init.

a) Plur. confer. SIGONIVS de antiquo iure prouinciarum l. 2. c. 1 p. m. 127. seqq.

b) Bello Jugurthino c. 27. al. 30.

c) Orat. pro domo sua ad pontifices c. 9.

d) Orat. de prouinciis consularibus c. 2.

e) L. c. cap. 7.

tercedere poterit, nunc non potest. Itaque ego idem, qui nunc consulibus iis, qui designati erunt, Syriam Macedoniamque decerno, decernem eadem prætorias, ut & prætores annuas prouincias habeant --- Sed mihi credite, nunquam succedetur illis, nisi cum ea lege referatur, qua intercedi de prouinciis non licebit. Ex quibus satis patet, Sempronia lege cautum fuisse, vt quotannis senatus prouincias decerneret consulibus atque prætoribus, forte aut comparatione subsequente: atque vt prætoriis prouinciis quidem a senatu decernendis intercedi posset; consularibus non item. Sæpe tamen etiam ab illa lege Sempronia recessum. Nam C. Mario consuli Numidiam, & post eam Galliam nominatim, fine forte, populus non solum mandauit, sed imperium in iis quoque prorogauit: iimo etiam priuato illi Asiam & bellum Mithridaticum, quod Sulla consul adeptus fuerat senatus consulto & forte, populus pro lubitu commisit. f) Et C. Julio Cæsari in Gallia proconsuli & stipendum decretum est, & decem legati: & ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est. g) Usque adeo consules Romani prætoresque in

f) PLVTARCHVS in Mario & Sulla.

g) CICERO ad diuersif. I. 1. epist. 7. n. 26. Conferatur ad h. I. obseruatio nostra (65)

in senatus potestate erant : vt iis aliquando etiam leuisimæ , ac nullius plane laudis prouinciæ decernerentur. Sic , teste SVETONIO , h) opera optimatibus data est , vt prouinciæ futuris consulibus minimi negotii , i. e. silue callesque decernerentur. Extra omnem dubitationis aleam hoc est positum , a senatu plurimum , aliquando etiam , tribunis intercedentibus , a populo decretas suisse consulibus atque prætoribus designatis prouincias : vt imperium illis , finito consulatu , prorogaretur proficisciens bus , maiori quidem libertate , quam intra vrbis mœnia , exercendum.

§. XI.

Consules initio quidem haud raro et iam dicti fuerunt prætores . Ita VARRO : i) quod uidem dicebantur consules & prætores . FESTVS : k) Initio prætores erant , qui nunc consules : & ii bella administrabant : quorum tabernaculum quoque dicebatur prætorium . Proconsules vero etiam , cum ini rent prouincias , pristinum retinuere consu lis

h) Jul. Cæsar , c. 19.

i) Apud NONIVM c. t. n. 91. Conf. DIO CAS SIVS l. 53. p. m. §78. init.

k) In prætoria porta . Confer. comment. in leges XII. tabul. p. 128. seq.

lis nomen : 1) quod supra annotauimus.
Romæ non procul ab arcu Constantini
legitur, JANO JACOBO BOISSARDO
auctore : m) T. SEMPRONII GRACCHI
COS. IMPERIO AVSPICIOQVE LEGIO
EXERCITVSQ. P. R. SARDINIAM SVB-
EGIT IN EA PROVINCIA HOSTIVM
CAPTA SVPRA LXXX. MILLIA REP.
FELICISSIME GESTA ATQVE LIBE-
RATIS VECTIGALIBVS RESTITVTIS
EXERCITVM SALVVM ATQVE INCOR-
LVMEM PLENISSIMVM PRÆDA DO-
MVM REPORTAVIT ITERVM TRIVM-
PHANS IN VRBEM ROMAM REDIT
CVIVS REI ERGO HANC TABVLAM
JOVI D. D. Quid rei sit , clarius paulo
demonstrat aliud apud eundem n) vetu-
statis monumentum , quod in ædibus Cæ-
sianis reperit : SEXTO PETRONIO
PROBO V. C. PROVINCIÆ AFRICÆ
PRÆFECTO PRÆTORIO QVATER I-
TALIÆ ILLVRICI AFRICÆ GALLIA-
RVM CONSVL ordinario patri
CONSVLVM ANICIVS PROBINVS V.
C. CONSVL ORDINARIVS ET ANITI-
VIS PROBVVS V. C. QVÆSTOR CAN-
DI-

1) Vid. LIVIVS 1.31. c. 20, 1.42. c. 1. 1.28. c. 39.
 pasim.

m) Antiquit. part. 3. f. 122.

n) Lec. cit. fol. 78.

DIDATVS FILII MVNVS SINGVLARI
RELIGIONE DEBITVM DEDICARVNT.

§. XII.

Et proconsules in prouincia *prætores* nominabantur. Nouimus, Bibulum Cæsar is in consulatu fuisse collegam, postea proconsulem in Syria; ad cuius quæstorum Sallustium CICERO o) scribit: *quod ego officio quæstorio te adductum reticere de prætore tuo, non moleste ferebam.* Idem *ve-
digal prætorium* vocat, p) *quod prætori,* i. e. proconsuli, soluebant, ne milites in hyberna reciperent: *quodque,* paulo ante scribit, *prætori dare consuerunt,* i. e. proconsuli: quia duo proconsules, Lentulus & Appius, ante Ciceronem, Ciliciam atque Cyprum rexerant. Et hoc PAVLVS MANVTIVS q) pridem obseruavit, P. Rutilium, r) qui consul fuerat, in Verrinis orationibus prætorem dici, C. Cæsarem quoque cum Gallias post consulatum administraret, & P. Scipionem a Liuio prætorem appellari: & Asconium Pe-

o) Ad diuers l. 2. epist. 17. n. 12, & quæ nos ibi annotauimus.

p) Ad Attic l. 5. epist. vlt.

q) Comment. in Cicer. ad famil. l. 1. epist. 1. Init.

r) P. Rupilius legendus, qui Siciliæ proconsul, in Verrinis M. TVLLII actionibus pastim *præter* vocatur.

612 Joh. Nicolai Funcii Dissertatio

Pedianum, cum de Q. Mucio Scæuola, Asiam post consulatum regente, loquere-
retur, eum prætorem vocare. Quod ne-
mini mirum videri potest, qui ex ipso A-
sconio intellexit, ab veteribus Latinis o-
mnem magistratum, cui pareret exerci-
tus, prætorem appellari, quod præiret
exercitu: ut postea imperator dictus est,
penes quem summa gerendi belli exerci-
tusque ducendi potestas erat. s) Hinc &
tabernacula & palatia, in quibus prouin-
ciarum præfecti, siue proconsules, ius di-
cere solebant, *prætoria* nominabantur; &
in castris quæ præcipua erat porta præto-
ria: & ea exercitus in prælium educeba-
tur. t)

§. XIII.

Habebantur Romæ consules, atque in
provinciis proconsules dignitate pares.
At, inquieris, consul Romanus, cum in
publicum prodiret, duodecim ante se ha-
bebat lictores, qui totidem præferebant
fasces & secures, ut olim regibus Romæ
factum legimus. v) Erant autem fasciculi
col-

s) Vid. ASCONIVS in 3. Verr. de prætura urbana.
VARRO de Lat lingua l. 4. c. 14. & 16. CICERO
de inuentione l. 1. c. 33. de legibus l. 3. c. 3.

t) FESTVS v. *prætoria porta*.

v) FLORVS l. 1. c. 5. n. 5. Confer. LIVIVS l. 1. c. 8
& DIONYS. HALIC. Roman. antiqu. l. 2. c. 4. extr.
p. m. 150. l. 3. c. 11. p. m. 293.

colligati ex virgis, seu bacillis, de betula arbore, x) inter quas obligata securis ita erat, ut ferrum in summo fasce emineret. Præferebantur autem honoris & imperii signa; ut per virgas significanter, corrigendum esse a magistratu, quod mutari posuit; quod vero emendari nequeat, abscondendum. y) Proconsules autem non amplius, quam sex fascibus vtebantur. z) Ex eo minori fascium numero non minor eliciendus proconsulis honor: cui aliquando etiam satis molesta erat hæc pompa lictorum. a) Romæ consules erant duo: quibus fasces atque lictores XII. decreti. Sed quot mensibus alter consulum habebat fasces, alter habebat apparitorem tantum. b) Erant enim omnes T. II. P. IV.

S s mnes

x) PLINIVS hist. natur. l. 16. c. 18. Virgas ex vlmio factas, testatur PLAVTVS Afinar. 3. 2 28. & 2 3. 74.

y) PLVTARCHVS problem. Rom. 82.

z) VLPIANVS l. 14. D. de officio proconsulis. Confer. obseruat. nostr. ad CICER. ad diuers. l. 2. epist. 16. (5).

a) CICERO l. c.

b) SVETONIVS Jul. c. 20 n. 2. Sed populus apud LIVIVM l. 2. c. 55. conquestus est, quatuor & vinti lictores apparere consulibus, & eos ipsos plebis homines. Dictatori XXIV. fuerunt, quia scilicet omne in eo imperium, consulis etiam vtriusque insignia

614 Joh. Nicolai Funcii Dissertatio

mnes penes vnum semper vicibus alternis.
Sex autem proconsul vnuſ vicibus non in-
terruptis vtebatur. Imo cum fascibus se-
cures habebat : quibus consulū nemini
licebat intra mœnia vti. Nam P. Valerius
Poplicola consul, Bruti collega, secures
auulſit fascibus: moremque reliquit con-
ſulibus, vt tantum extra vrbem ſecuribus
vterentur, intra mœnia contenti ſolis fa-
ſciūm inſignib⁹. c) Proconsul vbiq⁹
inſignia quidem proconsularia habet, ſta-
tim atque vrbem egressus eſt: potestatē
autem non exercet, niſi in ea prouincia
quæ ei decreta eſt. d) Ex dictis facile ex-
mendari potest SAMVELIS PISISCI, vii
in Romanis antiquitatibus versatissimi, e)
error, vbi inter alia : erant autem, vt p̄r-
tores a consulibus, ita prop̄tores a proconsu-
libus, & nomine, & dignitate, & dignita-
tis

signia habuit. APPIANVS bell. ciu. 1. i. Secures ei,
Sullæ, vt dictatori p̄ferebant XXIV. PLVTAR-
CHVS in Fabio; Fabius dictator dicitur, p̄cescit cum
cum viginti quatuor fascibus. DIO CASSIVS, l. 54.
ipsi cum XXIV. fascibus ad Auguſtum accessere, oran-
tes, vt ſe dictatorem creari pateretur.

c) DIONYSIVS HALIC. Roman. antiq. l. 5. c. 3.
p. m. 436.

d) VLPIANVS l. i. D. de officio proconsulis.

e) Lexico antiq. Roman. v. Consul pag. 553. ve-
lum. i.

tis insignibus separati. Consules, cum in provinciis in publicum prodirent, duodecim antese habebant lictores, qui præferabant fasces & securis, ut olim regibus Romæ. At prætores & proprætores, ut illi consulibus & proconsulibus erant inferiores dignitate, ita & dignitatis insignibus: sex enim tantum habebant lictores cum totidem fascibus & securibus. De prætoribus quidem nullum dubium: neque de consulibus. f) Proconsulibus vero etiam XII lictores cum fascibus fuisse concessos, nunquam ex omni Romano-rum antiquitate probabit. Sibimet vero etiam ipse contradicit alio loco, g) & proconsules non amplius, quam sex fascibus vti fatetur. Neque adeo mirum, sibi non constare lexicographum, qui totidem verbis SIGONII h) non veritus est exscribere sententiam. Fallitur SIGONI-

Ss 2 VS

f) APPIANVS Syriacus: *Prætores ad exercitum Romani miserunt, quos εξαπελέκεις vocant, i. e. sex securium.* Quia consules XII. securibus & fascibus, regum more, vtuntur. Prætores autem, quia dimidium dignitatis habent, etiam dimidium insignium consecuti sunt. Confer. DIO CASSIVS I. 53. p. m. 578.

g) Loc. cit. nom. *fasces* vol. 1. p. 76c.

h) De antiquo iure prouinciarum 1. 2. c. 1. p. m. 123. Ipsi quoque Sigonius imposuit PIGHIO, annalium magistratum & prouinciarum S.P. Q.R. 1. 2. pag. 109.

VS, i) male intellecto Ciceronis loco, vbi de Pisone, Macedoniæ proconsule ita legit: *ipse cum hominibus duodecim male vestitis ad portam Cælimontanam peruenit.* At CICERONIS verba haec sunt: k) quin tu me vides, qui, ex qua prouincia T. Flaminius, L. Paullus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alii, leui cupiditate commoti, triumpharunt, ex ea sic redii, vt, ad portam Esquilineam, Macedonicam lauream concularim; *ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Cælimontanam sibiens peruenirim?* In illis profecto nihil inuenies, quo, Pisонem cum fascibus duodecim lictores habuisse, probes. Sed esto, vt liberales simus, lictores habuisse duodecim: præter consuetudinem habuit, vt Cicero cum contra leges, mores, statuta, auctoritatem reip. egisse omnia, eleganti oratione accusat. Quod quis contra leges, nedum more maiorum, nimio sibi arrogat fastu, ceteris exemplo esse nequit, omnium vero minime dicendum consuetudinis fuisse. Insolens quoque & extraordinarium, quod Paullus Æmilius prætor in Hispaniam missus ad sedandos tumultus, non cum sex securibus, vt ceteri prætores, sed cum duodecim, vt dignitas consularis imperio eius

i) L.c.p.m. 124.

k) Orat. in L. Pisонem c. 25.

eius inesset. l) Equis vero inde sibi persuaserit, vulgo prætoribus XII. fasces a populo Romano concessos fuisse omnibus? Res vero ita se omnino habet, vt ALEXANDER AB ALEXANDRO m) memoriarum prodidit: easdem legiones atque exercitus, quibus ante consules præfuerint, ipsis proconsulibus, prorogato imperio demandari, vel novos comparari contra repentina motus -- Habebatque proconsul proconsulatus insignia eadem, quæ & consulatus. Nam & lictores, fasces, secures, prætextam, curulemque sellam, in provincia sibi decreta, velut consul retinebat, quibus insignibus, pro imperii maiestate, proque splendore dignitatis, conspicuus erat. In provinciis proconsules non solum lictores suos cum fascibus, vt maiestatem præ se ferrent insignem, verum etiam, pompæ & securitatis caussa, prætoriam secum semper cohortem habebant. Ita FESTVS: n) præatoria cohors est dicta, quod a prætore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque de legit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero munere militie vacarent, & sesquplex stipendum acciperent.

S 3 §. XIV.

l) PLVTARCHVS Pauli Æmili vita, p. m. 133. A.

m) Genial. dierum l. 2. c. 27. p. m. 248.

n) V. præatoria cohors.

§. XIV.

Romæ consules quotannis erant duo : vt, si alter improbus esset, alter, eandem habens potestatem, continuo illum coercere posset. Proconsul in prouincia potestatem vnuis habebat : & sine cuiusquam offensione, eo anno, agere poterat pro iubitu. Imo cum Romæ consules essent duo ; diuisam habebant potestatem : ita quidem, vt alter alterius non solum posset intercedere mandatis ; verum etiam semestri fere temporis spatio cedere maiori. Nam *consul maior* erat, penes quem fasces atque lictores, qui in publicum prodeuntem magna pompa præeedebant, & obuium summouebant populum. o) Moris autem erat, vt vicisim per menses consulum alter haberet fasces, ille ius quoque habendi senatus exercebat. Vbi vero senatum ab utrisque consulibus conuocatum legimus : non communem utriusque potestatem, sed consentientes eorum animos intelligimus. Constat enim alterutrius menstruani potestatem fuisse. Fasces & senatum primo magistratus mense habebatis, qui prior erat designatus consul. LI- VI-

o) FESTVS : *Maiorem consulem L. Cæsar putat dicere vel eum, penes quem fasces sint; vel eum, qui prior factus fit.*

VIVS: p) Interrex M. Valerius Coruinus consules creauit Q. Publilium Philonem & L. Papirium Cursorem iterum -- Quo creati sunt die, eo (sic enim placuerat patribus) magistratum inierunt, solemibusque S. C. perfectis, de pace Caudina retulerunt: & Publilius penes quem fasces erant, dic, Spuri Postumi, inquit &c. Ergo & senatum habebat primo mense, & referebat, & fententias rogarbat is consul, qui primo creatus, & penes quem eo mense fasces erant. Vt ideo Romanis placuisse videtur, consuli magistratum non longiore, quam annum, concessisse: ne diuturnitate imperii insolentiores essent: q) sed eo perbreui temporis spatio ciuiliores se praeberent, qui se post annum scirent esse priuatos futuros. Imo grauissima lex erat a P. Valerio consule, Bruti collega, ad augendam plebis potestatem lata: vt magistratum nemo caperet, nisi qui a populo imperium recipere. Si quis aliter fecisset, capitali poena puniretur: qui eum occidisset, ei impune esset. r) Magistratus rationem CICE-

Ss 4

RO

p) Lib. 9. c. 7. extr.

q) ISIDORVS orig. I. 9. c. 3. Consules ideo mutandos per singulos annos instituerunt, ut nec insolens diu maneret, & moderatior cito succurreret.

r) DIONYSIUS HALIC. Roman. antiqu. I. 5. c. 3. extr. p. m. 436.

RO s) hanc initam fuisse, memoriae prodidit: *cum regum potestatem non tulissent: ita magistratus annuos creauerunt: ut consilium senatus reip. præponerent sempiternum: deligerentur autem in id consilium ab uniuerso populo, aditusque in illum summum ordinem omnium ciuium industriae ac virtuti pateret: senatum reip. custodem, præsidem, propagnatorum collocauerunt: huius ordinis auctoritate vti magistratus, & quasi ministros grauisimi consilii esse voluerunt.* Romæ dignitates atque munera, quæ annua erant, augeri continuo solebant, ita, ut maiora sequentur. Sic quaesturam ædilitas, ædilitatem prætura, præturam consulatus, & hunc proconsulatus, dictatura, censura, aut certe magistratus non multo minor excepit, ordine & more maiorum.

§. X V.

Cum penes S.P.Q.R. esset imperii summa, & reip. vna maiestas: intra mœnia nemini licebat esse cum imperio. Itaque nec ipsi consules, nisi a populo, vel senatu iussi, conscribere militem, exercitum ducere, aut bellum gerere poterant. Eius rei testis sufficiens SALLVSTIVS est, t) qui, Ci-

s) Orat. pro P. Sextio c. 65.

t) Bello Catilin. c. 29.

Cicerone consule de Catilinaria coniuratione & communi periculo ad senatum referente, senatusconsultum narrat esse factum: itaque quod plerunque in atrocí negotio solet; senatus decreuit, darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet. Ea potestas per senatum, more Romano, magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios, atque ciues, domi militiaeque imperium atque iudicium sumnum habere. Alter sine populi iussu nulli earum rerum consuli ius est. Huius senatusconsulti ea vis fuit, vt legibus soluti consules dictatorium plane imperium obtinerent: vt PLVTARCHVS v) testatur, Opinium consulem, sub nomine consulis, dictatoriam potestatem habuisse. Et LIVIVS x) scribit, aduersus Manlium non dictatorem diclum, sed hoc senatus consulto usum senatum: decurritur ad leniorem verbis sententiam, vim tamen eandem habentem, vi videant magistratus, ne quid ex perniciose consiliis M. Manlii res publica detrimenti capiat. Hoc dicit Liuius, vim eandem habuisse, ac si decretum esset, vt dictator diceretur. Impetrabant ergo consules eiusmodi SCto

Ss. 5. im.

v) Graceorum vita.

x) Lib. 6. c. 19.

imperium plane extraordinarium: quod
sine eo nunquam habuerunt.

§. X VI I.

Proconsules in prouincias proficiscebantur cum imperio, quod singulare priuilegio, & lege curiata populus in illos transferre solebat. y) Hæc quidem lex de imperio proconsuli per curias in comitiis decernendo antiquissima est. Cum vero, tribunis intercedentibus, vel prohibentibus auspiciis, vel alia re impediente, imperatoribus imperium facile negari posset, quod exercitum habenti maxime necessarium: z) lex Cornelia accessit, a L. Corn. Sulla dictatore lata, vti, cum senatusconsultum esset factum, ut magistratus prouincias fortirentur, aut compararent inter se, etiam si fuerint sine lege curiata profecti, imperium haberent, donec in urbem reuertissent. Sic lege Cornelia senatus, curiata populus prouinciarum rectoribus dabat. Neque adeo dubitabat Appius Claudius, ille P. Clodii frater, valde cupidus prouinciaz, sine le-

ge

y) LIVIVS 1. 9. c. 38. extr.

z) CICERO ad Brutum epist. 15. Decreni etiam imperium: quod quamquam videbatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium Quid enim est sine imperio exercitus?

ge curiata, Lentulo, Ciliciam administranti, succedere; a) & dictare, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortitum esse cum collega prouinciam: si curiata lex non esset, se paraturum cum collega, & Lentulo successurum: legem curiatam consuli ferre opus esse, sibi necesse non esse: se, quoniam ex senatus-consulto prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset. b) Atqui CICERO, c) *consuli*, inquit, *si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Hoc propterea monet, quia sumtu publico in prouincias eundum illis, de quorum imperio curiata lex erat lata. d) Qui vero sine ea proficiscebantur, suis sumtibus agere debebant: ut, nisi opes essent maxima, quas impendere vellent, neque milites alere, neque bellum gerere valerent. Ita quidem prouincia nihil odiosius, nihil molestius. e) Annuum vero sumtum

Quia-

- a) CICERO ad Q. Fratrem l. 3. epist. 2. extr.
- b) CICERO ad diuersos l. 1. epist. 9. n. 74.
- c) Orat. 2, de lege agraria contra Rullum c. 12.
- d) Ne sociis villa re oneri, aut sumtui essent, mulis, tabernaculis, & omni alio instrumento militari ornabantur, teste LIVIO l. 42, c. 1. & annuo sumtu subleuari solebant. CICERO ad Attic. l. 6, epist. 3.
- e) CICERO ad Atticum l. 6. epist. 3.

Quinto Ciceronis fratri , Asiae proprætori , non decretum fuisse , M. TVLLIVS f) passim testatur . Et Appius , ut Lentulo succederet , sine lege , suo sumto in Ciliaciam proficisci cogitabat . g) Quod MANVTIVS h) non intelligit de pecunia in stipendia militum eroganda ; (nec enim sustinere sumtum potuisset) sed de suo atque cohortis viatico . Hoc dari solitum comitibus eorum , qui in prouincias irent , testatur CICERO i) ea epistola , quam ad Casium scripsit : *cetera cuiusmodi sint , ex hoc judica , quod legato tuo viaticum eriperunt.*

§. XVII.

Consules Romæ designati Kalendis Januarii magistratum inire debebant . Finito magistratu , proconsul , aut proprætor , in prouincia sibi decreta ut succederet , pro lubitu proficisci poterat : k) ut maiori , quam ipsi consules , libertate vtere.

f) Ad Attic . I . 2 . epist . 6 . extr . I . 7 . epist . I .

g) CICERO ad Atticum I . 4 . epist . 16 .

h) De legibus Romanis p . m . 90 .

i) Addiuers . I . 12 . epist . 3 . n . 5 .

k) Licet scripta fuerit lex a M. TVLLIO de legibus l . 3 . c . 3 . Imperia , potestates , legationes , cum senatus creuerit , populusue jussirerit , ex urbe exeunto .

retur. l) Neque Julius Cæsar , qui ex prætura vltiorem fortitus fuerat Hispaniam , SVETONIO teste , m) profectus est , antequam prouinciae ornarentur , n) i. e. nouo , post impetratum lege curiata imperium , senatusconsulto , de finibus prouinciaæ , de exercitu in eam ducendo , de militum stipendio , de legato , de viatico & instrumento consularis aut prætoriaæ domus , caueretur. o) Pompeio M. Hispania consuli decreta fuit in quinquennium : sed in eam proficisci , nunquam voluit. Hinc CICERONIS p) querelæ : *eundum in Hispaniam censui: quod si fecisset, ciuale bellum nullum omnino fuisset.* Rursum: q) posteaquam & Pompeii commoratio diuturnior erat , quam putaram &c. Q. Hortensius Cretam , M. T. Cicero Galliam in concione deposuerunt: quod ipse hinc etiam Sulpicio noluit vertere vitio. Tu , inquit , r) in prouinciam ire noluisti . Non possum

l) Confer. CICERO orat. de prouinciis consularibus 2. 15.

m) Cæl. c. 18.

n) Vbi quidem ab aliis perperam legitur ordinantur.

o) Vid. CASAVBONVS animaduers. ad citat. Suetonii locum p. m. 16. seq.

p) Ad diuers. l. 6. epist. 6. n. 8.

q) Lib. 7. epist. 5. n. 3.

r) Orat. pro L. Muræna c. 20.

sum id in te reprehendere, quod in me ipso & prætor, & consul probauit. Alibi: s) non erat minor laus ex contemnenda, quam ex conservata prouincia. Vnde patet, proconsulibus & prouinciam non sortiri, & eam post sortem deponere, aut in eam non ire licuisse. Fuerunt tamen multis partibus plures, qui, prouinciarum obtinendarum cupiditate, præturam, aut consulatum appetiuerunt: ut legibus saluberrimis in urbe vix satis ambitus criminis resistere possent. Hinc, Pompeio tertium consule, SCtum fecerunt, ne quisquam ex iis, qui consulatum, aut preturam gesſifſent, prouinciam aliquam ante elapsum quintum annum acciperet: sperantes, vel hac ratione, certamina de occupandis magistratibus tolli posse, si pateret, eum, qui obtinuisset, non statim cum potentia aliqua futurum. Nihil enim fani moderatiue agebatur: sed cum largitionibus acriter contendebant, tum plus etiam dimicationibus; ita ut consul quoque Calvinius aliquando vulnus acceperit. t) Eoque SCto in prouincias ire coacti sunt, qui ex prætura, aut consulatu, eas administrare nouerunt: ex quorum numero etiam M. Cicero, & M. Bibulus fuerunt, quorum al-

s) Ad diuersos 1. 1, epift. 12. n. 5.

t) Vid. DIO CASSIUS 1. 40. p. m. 159.

alter ex senatusconsulto Ciliciam, alter Syriam fortitus est. Paulo post, Marcello & Sulpicio cōs. in eandem fere sententiam alterum senatusconsultum factum est, de quo COELIVS v) ad Ciceronem ita scribit: *senatui placere in Ciliciam prouinciam, & in VIII. reliquas prouincias, quas prætorii pro prætore obtinerent, eos, qui prætores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in prouincias pro prætore mitti oporteret, eos sortito in prouincias mitti placere.* Si ex eo numero, quos ex S. C. in prouincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas prouincias proficiscerentur, tum vii quodque collegium primum prætorum fuisset, neque in prouincias profecti essent, ita sorte in prouincias proficiscerentur. Si ii ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cuiusque collegii, qui prætores fuissent, neque in prouincias profecti essent, in sortem conjicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in prouincias mitti oporteret. Etiam commutata rep. Julius Cæsar Senatoribus seorsim Africam & Asiam, prætoriis reliquas prouincias adscripsit: utrisque autem ex æquo interdixit, ne ante quintum annum a gesto in vrbe magistratu prouincias fortiren-
tur.

v) Apud CICERONEM ad diuers. l. 8. epist. 8,
n. 21.

tur. Ita siebat, vt etsi eorum numerus, quam prouinciarum, erat maior, tamen ad omnes tandem imperium perueniret. x)

§. XVIII.

Sed vltra constitutum tempus in prouinciis neque proconsules, neque propratores manere poterant. Post annum enim vt plurimum illis succedebatur. Hinc CICERO ad Coelium scribit: y) quem, sc. Q. Fratrem, si reliquissim, dicerent iniqui, non me plane post annum, vt senatus voluisse, de prouincia decessisse: quoniam alterum me reliquissim. Et lege Cornelia, prouinciarum rectoribus XXX. tantum dies, postquam successor missus esset, ad decedendum concedebantur. z) Annuo prouincialis molestia præterlapso tempore, quo ad succederetur, legato vel quæstore, suo loco vt prouincia præfisset, relicto, decedere poterant: a) nisi tempus illis prorogaretur: quod ne fieret in Cilicia Cicero valde timebat, ad Coelium b) inter alia scribens: vigila primum, vt mihi succedatur: sin id eru, vt scribis, & vt ego arbitror

x) Vid. DIO CASSIVS 1. 53. p. m. 578.

y) Ad diuers. 1. 2. epist. 15. n. 5.

z) Vid. CICERO ad diuers. 1. 3. epist. 6. n. 7.

a) Vid. CICERO ad. diuers. 1. 2. epist. 13. 15. & 18

b) Lib. 2. epist. 10. n. 8.

*bitor, spissus; illud, quod facile est, ne
quid mihi temporis prorogetur.* Illud vero
mihi non facile persuaserit quisquam; si-
ne prorogatione imperii proconsulem, aut
proprætorem in prouincia pro lubitu age-
re potuisse, & manere ultra tempus ipsi
constitutum, quoad in urbem ipsi redire
placeret. Ut Romæ, sic in prouinciis ma-
gistratus erat annuus: eaque conditione,
qua profecti erant, omnino etiam reuerti
debebant. c) Si qui longius in iusl com-
morabantur, non more maiorum, non
iure faciebant: atque reduces maiestatis
facile siebant rei. Miror inde SIGONII
oscitantiam, qui d) Lege Cornelia cre-
dit cum imperio cuique permisum esse,
vt annuo perfecto munere, quod ipsi de-
cretum, in prouincia manere potuisset,
quoad domum rediisset. Ita memoria
prodidit: *cum lege Cornelia, qui prouinciam
ex senatusconsulto habebat, is imperium,
quoad in urbem rediret, haberet, hinc factum
est, vt per eadem tempora alii biennium, alii
triennium, alii amplius prouinciis sine populi
Prorogatione præfuerint: quia, cum successor
aut a senatu non esset decretus, aut decretus
in prouinciam non esset profectus, tamdiu im-*
T. II. P. IV. Tt pe-

c) CICERO ad diuers. l. 2. epist. 7. extr.

d) De antiquo jure prouinciarum l. 2. c. 1. p. m.

perium obtinuerunt, quoad dominum redierunt: ut L. Lucullus, qui ex consulatu per septem annos Ciliciae & Asiae praefuit, quia successor non est missus; & C. Verres, qui ex praetura per triennium Siciliae quia successor non est profectus, ut scribit Asconius. Atqui lex Cornelia, vel Sempronnia, est enim vna eademque, de prouinciis a L. Cornelio Sulla, & C. Sempronio Graccho rogata, diserte voluit, ut de prouinciis a senatu quotannis decerneretur. Et singulari Cæsar obtinuit senatus beneficio, ut illi Sempronnia lege non succederetur. e) Quoties ergo legi non satisfactum, vt supra diximus, in prouincia proconsuli imperium prorogatum fuit: quod etiam lege Cornelia retinuit, vel ad impetrandum a populo triumphum, in Italia redux, quoad viris moenia ingrederetur. Quod vi, clam, vel precario factum, non dici potest, secundum leges fieri, aut more maiorum.

Ni-

e) Vid. CICERO ad diuersos l. 1. epist. 7. n. 26. orat. pro Balbo c. 27, orat. de prouinciis consularibus c. 11. Nec ab re PAVL. MANVTIVS ad Cicer. l. 1. epist. 1. init. Omnino lege Sempronia C. Gracchis & Cornelia L. Sulla, prouinciae erant annue: tamen interdum prorogabatur imperium, ut Lentulo, cui successit Appius, & Appio, cui Cicero; præterea Q. Ciceroni, cum Asiae praefasset, C. Antonio, Macedoniae proconsuli, C. Cæsari, Gallias administranti. Confer. DIO CASSIVS l. 53. p. m. 579.

Nisi vero tempus prorogaretur, ut supra
monui, proconsules, annuo temporis spa-
tio confecta iurisdictione, aliis committere
prouinciam, & pro lubitu decadere pot-
erant. Sic omnium fere exemplo, M.
TVLLIUS f) Cœlum quæstorem suum,
e Cilicia decadens, reliquit: & Caesar
Hispaniam vteriorem sortitus ex præ-
tura, ad triumphum simul atque con-
sulatum properans, pacata prouincia,
non exspectato successore, decessit. g)
Proconsulis imperium durabat, donec
in urbem introiuisset. Malebant ergo,
qui triumphum exspectabant, reduces ad
urbem esse, i. e. extra vrbis mœnia in præ-
diis degere, quoad ipsis decerneretur tri-
umphus: illum enim priuati, qui fieri
solebant, quamprimum ingredierentur Ro-
mam, obtinere non poterant.

§. XIX.

Vtut consulis maxima esset in vrbe au-
toritas : ius tamen non nisi publicum
administrare poterat cum senatu atque
populo. Et satis mature priuata iurisdi-
ctio ad prætores, ædiles, atque centum-
uirale iudicium transiit. Cum enim non
possent consules simul omnibus sui mune-

Tt 3 ris

f) Ad diuers. l. 2, epist. 15. n. 4.

g) SVETONIUS Cæs. c. 18.

ris vacare partibus, vel propter bella continua, quæ suborriebantur, vt peregre multis cumularentur negotiis, atque domini frequens esset iustitium: prætores rebus præfecti ciuilibus, vt iuri dicundo magistratus peculiaris constitueretur. h) Hinc ne iudicis quidem consuli competit nomen, postquam prætori data est prope pars altera imperii. Tempora POMPONIVS i) respicit priora, vbi, regibus, inquit, exactis, consules constituti sunt duopenes quos summum ius vti esset, lege rogatum est. Postquam id negotii datum fuit prætoribus, nescio, quid iurisdictionis consulibus ipsis in cauissis ciuilibus superesse potuerit. Neque memini vñquam sibi tantum arrogasse, vt in decretas alteri prouincias, cum imperio & potestate, ad ius dicendum, proficiisci conarentur. Et me prorsus non capere fateor, quod ALEXANDER AB ALEXANDRO k) de differentia iurisdictionis, quæ consuli, atque illius, quæ proconsuli competat, memoriae prodidit, vbi, hoc, inquit, inter- est

h) POMPONIVS L. 2. §. 37. D. de orig. iuris:
Quum consules auocarentur bellis finitimis, neque es-
set, qui in ciuitate ius reddere posset, factum est, vt
prætor crearetur.

i) L. 2. §. 16. de orig. iuris.

k) Genial. dier. l. 2. c. 27. pag. 249. extr.

est, quod proconsul in decreta statutaque sibi prouincia ius tantum dicit: consul vero etiam extra prouinciam & ubique dicit.

§. XX.

Jurisdictionem Proconsules in prouinciis obtinebant longe amplissimam. Illorum erat, vbi vbi versarentur, agere forum, i. e. ciuitates vocare, & cognoscere de controuersiis populi: l) statuere, decernere, & iudicare dicebantur omnia; m) prouincia sibi decreta quisque sua. VLPIANVS: n) proconsul ubique quidem proconsularia insignia habet, statim atque urbem egressus: potestatem autem, o) i. e. jurisdictionem, non exercet, nisi in ea prouincia sola, quæ ei decreta est. Rursum: p) usque ad adventum successoris omnia proconsulem agere: cum sit unus proconsulatus, & utilitas prouinciae exigat, esse aliquem, per quem negotia sua prouinciales explicit. MAR-

T t 3

CI-

l) FESTVS v. forum.

m) Vid. CICERO ad diuersos l. 3. epist. 6. n. 8.

n) L. I. D. de officio proconsulis. Confer. l. 4. §. 6. D. eod. tit.

o) Cum potestate enim dicebantur esse magistratus: cum imperio, qui exercitibus praerant.

p) L. 10. D. de officio proconsulis.

634 Joh. Nicolai Funcii Dissertatio

CIANVS: q) omnes proconsules statim , quam
vrbem egressi fuerint , habent iurisdictionem ,
sed non contentiosam , sed voluntariam : vt ec-
ce manumitti apud eos possunt tam liberi , quam
serui , & adoptiones fieri . Atque , vt supra
notauimus , cum in prouinciis proconsu-
les , quod exercitui præfident , communis
vocabulo *prætores* nominarentur , suum
habebant prætorium , quod palatum siue
publica & magnifica erat domus , ubi ius
dicebant , & ipsi habitabant , prope regia
auctoritate . Eoque respicit imperatoris
constitutio : r) nulli iudicum , qui prouin-
cias regunt , in ciuitatibus , in quibus sacra
palatia , siue præatoria sunt , liceat , his reli-
ctis , priuatorum sibi domus , ad habitandum ,
velut præatoria , vindicare . Eiusmodi vero
palatia , siue præatoria , cum splendide &
magnifice essent , ad maiestatem imperii
Romani , exstructa , in prouerbium abie-
runt , vt omnia ædificia ampliora & ele-
gantiora communi vocabulo *præatoria* ap-
pel-

- q) L. 2. D. de officio proconsulis. Confer. elegan-
tissima CICERONIS in Verrem oratio 2. de iurisdi-
ctione Siciliensi. Hinc emendandus est ALEX-
ANDER AB ALEXANDRO genial. dier. l. 2. c.
27. pag. 249. vbi , lege perperam intellecta , con-
tentiosam , inquit , iurisdictionem , nisi in decreta
prouincia , non exerceat ; voluntariam autem ubique ,
r) L. 14. C. de officio rectoris prouinciarum.

pellarentur. s) Judicium quoque ipsum
vocatur *prætorium* ut pro iurisdictione, im-
perio, & judiciali potestate valeat. Ita
prætorium Africæ, Galliarum, Italiae, H-
lyrici, Orientis, & alia passim in codice
Theodosiano & Justinianeo, notitia item
utriusque imperii occurunt. Sua pro-
consules in castris quoque habebant *præ-
toria*, quæ magnificientia & regali ornatu
tabernacula superabant reliqua omnia.
FESTVS: t) *prætores* erant, qui nunc *con-
sules*, & ii bella administrabant: quorum ta-
bernaculum quoque dicebatur *prætorium*. VE-
GETIVS, v) ubi de dispositione castro-
rum agit, *deinde*, inquit, *duci prætorium*,
eiusque comitibus preparatur, ac *tribunis ta-
bernacula* collocantur. Ne quid autem in pro-
vincia iurisdictione proconsuli videatur cre-
are molestiæ: legato eam suo mandare
Poterat, ita quidem, ut prorsus omnia ab
eius voluntate & arbitrio dependerent.
Nec obstat VLPIANI x) sententia: *ingres-
sus prouinciam mandare iurisdictionem legato
suo debet*; hanc enim fatis patet, ICti opi-

T t 4

mī-

s) Vid. SVETONIVS Aug. c. 53, & Tito, c. 8.
STATIVS I. Sili. 3. in Tiburt. Manl. v. 25.
AVSONIVS Mosella v. 286.

t) V. *Prætoria porta*.

v) Lib. 3. c. 8.

x) L. 4. §. 6. D. de officio proconsulis.

636 Joh. Nicolai Funcii Dissertatio

nionem esse, legato si velit, non posse ante suum aduentum mandare iurisdictionem. Et sui ipsius optimus interpres est: hanc enim subiungit rationem, *est per quam absurdum, antequam ipse iurisdictionem nanciscatur, (nec enim prius ei competit, quam in eam prouinciam venerit) ali eam mandare, quam non habet.* In continentि **PAPINIANVS** y) illi contradicit, qui omnino affirmat iurisdictionem a proconsule mandari posse, etiam si in prouinciam nondum peruerterit: quandoquidem vsu venire soleat, ut proconsul in itinere necessariam patiatur moram, legatus autem mature in prouinciam perueniat. Diserte vero sequenti lege **VLPIANVS** z) statuit, sicut mandare iurisdictionem, vel non mandare, sit in arbitrio proconsulis, ita adimere mandatam iurisdictionem ipsi quoque licere.

§. XXI.

Quæ Consulis, Prætoris, Ædilis, Romæ dignitates & munera erant singula: ea proconsulis in prouincia simul omnia fuisse, libro secundo de officio proconsulis **VLPIANVS** a) testatur. Ut caput & præ-

y) L. 5. disto tit.

z) L. 6. §. 1. D. de officio proconsulis.

a) L. 7. D. de officio proconsulis.

præses ciuitatum vbiq[ue] celebrandus, coram, ne laudes quidem suas declinare poterat. Ædes sacras & opera publica circumire solebat, inspiciendi gratia, num sarta tecta sint, an aliqua refectione indigeant. Curatores operum diligentibus solenniter præponebat: ministeria quoque militaria, vbi opus erat, ad curatores iuvandos, dabat. Et hoc notabiliter addit: *cum plenissimam iurisdictionem proconsul habeat: omnium partes, qui Romæ, vel quasi magistratus, vel extra ordinem ius dicunt, ad ipsum pertinet.* Præter iurisdictionem habebant etiam curationem, quæ consistebat in ceteris rebus curandis, atque imperandis prouinciæ, ut in re frumentaria, tributaria, vectigali, & viaria: quæ omnia per edicta sua administrare solebant. b)

§. XXII.

Consulis est consulere senatum, ex eo enim dictus videtur, c) ne quid pro luto

Tt₅

bitu

b) Vid. ROSINVS antiquit. Roman. I. 7 c. 42.

c) VARRO de lingua Latina I. 4. c. 14. *Consul nominatus, quod consulere populum & senatum debet: nisi illinc potius, unde Actius ait in Bruto, qui recte consulat, consul fiat.* Posterior sequitur POMPONIVS quoque I. 2. §. 16. D. de origine iuris, vbi consules, inquit, dicti sunt ab eo, quod plus

bitu agere, atque adeo tyrannidem exercere, vel remp. opprimere instituat: verum consilio potius senatorum publico in omnibus actionibus suis vteretur. Erant enim hi consilium quasi publicum: quod regum loco designati consules, vt senatus fieret consultum, de omnibus consulere debebant. Cum enim Romani regum superbam dominationem non ferrent: annua imperia, binosque consules sibi fecerunt. Fastus regius non benevolentia consulentis, sed superbia dominantis erat. Hinc consules appellati, vt ISIDORVS d) loquitur, vel a consulendo ciuibus, vel a regendo cuncta consilio. Ut consulis impleret dignitatem atque officium, consulere debebat reip. saluti, & nihil facere, quod aduersus leges quocunque modo esse videretur. Hinc CICERO e) ad Plancum scribit: *complures in perturbatione reip. consules dicti, quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo exstiterit in remp.* con-

plurimum reip. consularent. Vtrumque satis comode. Plures enim consulendo & iudicando, reip. demum recte consulere, & omnibus iucundi esse poterant. Confer. QVINCTILIANVS instit. orat. I. t. c. 6. & ISIDORVS orig. I 9. c. 3. apud GOTHOFR. corp. auct. Lat. linguae. p. 1045. lin. 32.

d) L.c.

e) Ad diuers. I. 10. epist. 6.

consulari. Consule in senatu de rebus maximi momenti referente, omnium etiam accedentibus suffragiis, ne senatus quidem consultum fieri poterat, si quando tribunis intercedere placuit. f) Jam tum enim grauissima lex a P. Valerio consule, Brutus collega, ad augendam plebis potestatem, fuit lata: si quis Romanus magistratus aliquem vel capite plectere, vel virginis cædere, vel pecuniis multare velit: licere priuato homini ab illo magistratu ad populi iudicium prouocare: nec interea magistratui licere in eum animaduertere villo modo, donec populus de eo suis suffragiis statuerit. g)

§. XXIII.

Proconsulis iudicia in prouinciis liberaria erant: neque tribunorum istud *veto* molestum ac triste vñquam audiebatur. Ut magistratus, ita quoque cum potestate erant, quæ in ipsa vrbe multum quidem limitata; in prouinciis autem cum admiratione ipsam reip. maiestatem videbatur præ se ferre. Tanto magis, quod, iussu

f) Vid. obseru. nostr. ad CICER. ad diuersos I. 1. epist. 2. (aa)

g) DIONYSIUS HALIC. Roman. antiqu. I. 5. c. 3. extr. Confer. POMPONIVS §. 16. l. 2. D. de orig. iuris.

640 Joh. Nicolai Funcii Dissertatio

iussu populi, accedebat imperium ac bellicæ rei administratio, ea quidem auctoritate, vt militibus ab imperatore nulla plane supereffet prouocatio: quæ alioqui ciuibus in vrbe semper ad populum erat. Sufficiens ea de re testis est M. TVLLIVS, h) qui hanc quasi legem de imperio militari scripsit: *militiæ ab eo, qui imperabit, prouocatione esto: quodque is, qui bellum gerat, imperasit, ius ratumque esto.* -- *Militiæ summum ius habento, nemini parento: ollis salus populi suprema lex esto.* Tot tantisque magistratus & principes, reip. erant semper Romæ cumulati negotiis: vt liberius facile paterentur agere proconsules in prouinciis: quorum actiones tot nunquam fuerunt expositæ maleuolorum obtrectationibus. CICERO: i) ita multa Romæ geruntur, vt vix ea, quæ fiunt in prouinciis, audiantur.

§. XXIV.

Triumphus, qui in rep Romana summus honor, vt consuli, ita proconsuli quoque decernebatur, hostium facta insigni strage, aut imperio, postquam ipsa fuerit expugnata metropolis, prouincia qua-

h) De legibus l. 3. c. 3.

i) Orat. pro Cn. Plancio c. 26.

quadam aucto. *Paludatus* k) i. e. militari habitu, armisque ornatus, aduersus hostes proficiscebatur vterque. Ut plurimum vero in prouinciis proconsules, vt cum imperio abire solebant, stare in acie, &, cum terminis, salutem publicam vietribus armis promouere videbantur. Adeoque multis partibus plures, vt fortitudinis præmium caperent longe splendissimum, rebus foris præclare gestis, in urbem reuersuri ducebant triumphum: qui sine militia esse non poterat. Imo nemini ex imperatoribus, nisi gloria vellet perdere speratam, ante triumphum licebat ingredi urbem. Triumphabant enim cum imperio, quod urbem intrantes deponere debebant. Decernebat autem senatus triumphum: imperium populus dabat, rogatione ab aliquot tribunis pl. lata, vt imperatores illud etiam eodem retinerent, quo in urbem triumphantes inueherentur. l) Sententia hinc illustranda CICERONIS, m) qui ad Atticum scribit: *Pontinius vult. a. d. IV. Non. Novemb. triumphare.* *Huic obuiam Cato, & Serrilius praetores aperte, & Q. Mucius tribunus.*

Ne-

k) FESTVS: *Paludati in libris auguralibus significat, vt ait Veranius, armati, ornati: omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici.*

l) Vid. LIVIVS l. 45. c. 35.

m) Ad Attic. l. 4. epist. 16.

*Negant enim latum de imperio: & est latum,
Hercule, insulse. Quare insulse? Quia le-
gem de imperio Pontinii Sergius Galba
prætor clam ante lucem tulerat: & agi-
quidquam cum populo ante horam pri-
mam leges vetabant. n) Et hoc probe no-
tandum, duxisse triumphum, qui hostes
acie vicissent, sed definaito numero, ad
incrementum imperii. Ut enim impera-
torum ambitioni, qui leibus præliis
prospere factis, triumphum petebant, ob-
uiam iretur, lege cautum est, ne quis
triumpharet, nisi qui quinque millia ho-
stium vna acie cecidisset, & de suo exer-
citatu multo pauciores amisisset. In vtro-
que etiam ne falsus senatui numerus ede-
retur: altera lex a L. Mario & M. Catone
tribunis pl. lata est, vt punirentur, qui
aut hostium occisorum, aut ciuium amis-
torum in numero mentiti essent. Sanc-
tum illud quoque est, vt pro aucto impe-
ri, non pro recuperatis, quæ populi
Romani fuissent, triumphus decernere-
tur. o) Cum omnes magistratus ab im-
peratore & proconsule triumphante ad
coenam inuitarentur: consul Romanus*

præ-

n) Vid. DIO CASSIVS 1.39. extr.

o) MANVTIVS de legibus Romanis p. m. 94. Ob-
servat. nostræ ad CICERON. ad diuerlos 1. 2. ep. 10.
(x) (ak) 1.8. ep. 5. (b)

Prætermitti non poterat. Mox vero honoris, non necessitatis caussa, missis internunciis, consulēm proconsul rogare solebat, vel etiam petere ab illo debebant, qui triumphantem epulis excipiebant, ut conuiuio illi interesse nolit. Caussa satis aperta, quod honoris gradu superiorum neque is, qui duxit triumphum, neque consul Romanus agnosceret, ac alter alteri loco cedere non auderet. VALERIVS MAX. p) hanc rationem subiungit, ne quis eo die, quo ille triumpharet, maioris in eodem conuiuio sit imperii. Quasi vero in vrbe consul esset cum imperio: quod triumphanti eo die a populo concessum. PLVTARCHVS: q) cur cum publico epulo exciperent eum, qui triumphum duxisset, a consulibus, missis internunciis, petebant, ne ad cœnam venirent? An quod locum assignari honoratissimum triumphatori oportebat, tractarique eum magnificenter, & domum deduci, peracta cœna: quæ omnia consulibus, si interessent, nulli alii, licet deferri? Quæ certe id probant, quod dixi, summum in vrbe magistratum aduentanti ex prouincia victori sumnum honorem deferre non àquo animo potuisse, aut deferre saltem visum non esse.

§. XXV.

p) Lib. 2. c. 8. n. 6.

q) Quæst. Rom. 79.

§. XXV.

Consules cum cetera regum insignia Romæ haberent: coronam pictamque togam non accipiebant. Proconsules vero in prouincia non solum eadem tenebant insignia, lictores cum fascibus, trabeam, prætextam, sellam curulem regiam; sed etiam victores cum redirent, magnifico triumpho, corona pictaque illa toga ornati, atque adeo maxima pompa in urbem vehebantur. Qui ita triumphantes urbem ingressi erant, laurea corona quoque in spectaculis vti solebant. Quod inde patet, quod C. Papirius Masso, cum, triumpho a senatu non impetrato, in Albano monte triumphasset, myrtlea corona, pro laurea, in spectaculis usus est. r) M. Valerius, teste PLINIO, s) duabus coronis utebatur, laurea & myrtlea, quoniam hoc voverat. De coronis triumphantium multa CAROLVS PASCHALIVS commentatus est, in egregio coronarum opere, quo res omnis coronaria e priscom monumentis eruta & collecta continetur. t) Quod ad togam pictam, siue pal-

r) Vid. PLINIVS hist. natur. 1. 15. c. 29. extr.

s) L. c.

t) Prodixit aureum opus primum Parisiis 1610. 4.

palmatam v) attinet, dixi triumphantium esse propriam: vnde etiam triumphales nominantur: & consules ea caruisse, sua tantummodo contentos trabæa. Sed probe distinguenda sunt tempora. De libera rep. loquor. Sub imperatoribus, e Cæsarum familia, & luxu in dies obtinente maiori, consules etiam illa picta vtebantur toga, quoties Kalendis januarii magistratum inibant, aut Jani reserabant templum. Ita LAMPRIDIUS x) de Alexander Seuero: *Prætextam, et pictam togam nunquam, nisi consul, accepit; & eam quidem, quam de Jovis templo sumtam alii quoque accipiebant, aut prætores, aut consules.* De Gordiano CAPITOLINVS: y) *Palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum, priuatus suam propriam habuit, cum ante imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* Ex quibus locis patet, regiam vestem illam vel in Capitolio, vnde T. II. P. IV. Vv et-

v) PLINIVS hist. natur. l. 8. c. 48. *Pictas vestes iam apud Homerum fuisse, vnde triumphales natæ. Ac facere id Phryges inuenierunt. A genere picturæ palmata dicta est, quod palmas intextas haberet. FESTVS in v. picta. Tunica, inquit, palmata æ latitudine clavorum dicebatur, que nunc a genere picturæ appellatur.*

x) Alexandr. Seu. c. 40.

y) Gordian, c. 4.

646 Joh. Nicolai Funcii Dissertatio

etiam *Capitolina* dicta, z) vel in Palatio seruatam, & inde, cum opus foret, de-
promptam fuisse. Grauissimus testis ipse
consul AVSONIVS, qui, a)

Vt præfecturam, inquit, duplarem,
sellamque curulem,
Vt trabeam, pītamque togam, mea
præmia, consul
Induerer, fastisque meis prælatus ha-
berer.

Alibi : b) *In procinctu, & maxime dimicaturus, palmatae vestis meæ ornamenta disponis, feliciter, & bono omne. Namque iste habitus in pace ut consulis est, sic in victoria triumphantis.*

§. XXVI.

Ex dictis patet, proconsulibus, qui rebus fortiter & præclare gestis incluti, magnos & in prouincia, & Romæ in ipsa imperii sede, habitos fuisse honores. At, si quid offendissent, aut a legibus reces-
sissent, multis etiam judiciorum laqueis implicari poterant. Inprimis tribus ob-
noxii erant legibus & quæstionibus, pe-
cu-

z) VOPISCVS Prob. c. 7.

a) Eidyll. 4. v. 91.

b) Grat. aet. p. 245.

culatus, maiestatis, & repetundarum. Peculatus, si prædam, aut pecuniam publicam, auertissent: maiestatis, si prouinciam, aut exercitum hosti prodidissent, aut quid contra mandatum reip. gesissent: repetundarum, si quid in socios subiectosue, aut auare, aut superbe, aut libidinose, aut iniuste & crudeliter statuissent. Multi etiam criminе tenebantur ambitus, qui largitionibus, prensatione, modisue illegitimis aliis, magistratum obtinuisse dicebantur. Sed hæc hactenus.

II.

HENR. HEISEN
DISSERTATIO POSTERIOR
DE
IMPERATORIA MAJESTATE
A PRIMIS
HISTORIÆ AVGVSTÆ CON-
DITORIBVS INDIGNISSIME
HABITA.

CONSPPECTVS:

§. 1. *Transitio ad tertiam suscepiti opusculi partem.* §. 2. *Græci romanarum rerum VV 2*

rum scriptores preferendi latinis sunt, quia
 plerumque doctiores; §. 3. alieniores a par-
 tium studio; §. 4. & in verisimilibus occul-
 tissimarum rerum indagandis rationibus saga-
 ciores ac diligentiores. §. 5. Dionis Casii vir-
 tutes; §. 6. adulatio & obireclatio, quarum
 vulgo insimulatur; §§. 7 & 8. sed falso ac pre-
 ter meritum; nostrumque de scriptoris hujus
 ingenio, moribus & instituto judicium. §.
 9. Suetonii petulantia, irreverentia, &
 calumniandi obscenaque prodendi libido. §. 10.
 Nimia curiositas Taciti, & conjecturis indul-
 gendi studium. §. 11. Jul. Cæsar's justior,
 quam Pompejanorum, causa. §. 12. Cui
 Suetonius, bellum civile recensens, passim
 obireclat; a quo nec satis sibi cavet Div Cæsius.
 §. 13. Amores Cæsar's indignissime idem Suetoni-
 us exagitat. §. 14. Injustissima principis hujus
 cædes; §. 15. vel judicio potioris Romanorum
 partis. §. 16. Confutatio argumentorum,
 quibus excusare eam ac probare adversarii sat-
 agunt. §. 17. Nihil minus, quam tyrannus,
 Jul. Cæsar fuit, &, si vel fuisset, ne sic qui-
 dem jure occisus esset. §. 18. Calumnia Sue-
 tonii, columnæ labem Augusto affricantis. §.
 19. Afficta illi ab eodem biographo crudelitas.
 §. 20. Commentitia alia, quæ cum ipsi, §. 21.
 tum uxori ejus Liviæ impinguntur, crimina.
 §. 22. Tiberii eruditio & virtutes. §. 23.
 Exaggeratio iniqua vittiorum ejus, facta a Sue-
 tonio. §. 24. Præpostorum hinc & inclemen-
 tis-

tissimum, quod generatim de principe hoc fert, judicium, cui Dionis Cassii multo sanius, cautiis ac aequius opponitur. §. 25. Quid sentendum de sui ipsius infamia, quam contempsisse, immo quæsiisse & auxisse Tiberius perhibetur. §. 26. Neronis laudes. §. 27. Crimina ejus magnam partem vel incerta, vel aperite falsa. §. 28. Falsus ejus cum matre incestus. §. 29. Senecæ imperata ab ipso cædes quatenus excusari queat. §. 30. Subjunguntur paucula de Vespasiano ac Tito. §. 31. Dedecuit Suetonium, fæditates primorum cæsarum, easque potiorem partem clandestinas, memoriae prodere. §. 32. Nam ita & se turpissime dedit, & eos, de quibus commemorat, imperatores afficit injuria. §. 33. Porro ignorata docuit hacenus, docebitque omnem posteritatem viua. §. 34. Quos vero non docet, fastidio saltem & offendiculo est. §§. 35 & 36. Disjiciuntur Bælii aliorumque, quibus tueri spurcum scriptorem nützuntur, præsidia. §. 37. Quo pacto secundum omnia illa, quæ in utraque dissertatione dicta sunt, versari in lectione primorum historiæ augustæ conditorum oporteat.

§. I. Superiori dissertatione, secunda parte secundi hujus Symbolarum Literiarum tomri reperiunda, (1) universam nostram *de imperatoria majestate*
VV 3 a

(1) p. 246. sqq.

a primis historie augustæ conditoribus indignissime habita commentationem ad quatuor revocavimus capita, (2) quorum primo demonstrandum esset, NOLVISSE viros illos, secundo NE POTVISSE QVIDEM vera omnia referre. Quibus igitur dicta dissertatione absolutis, proximum nunc est, ut, quod tertio loco proposuimus, iidem scriptores inter se committantur, & quorum vitas resque gestas memoriae prodiderunt, si minus omnium, at certe præcipuorum imperatorum expressæ imagines in adspectum lucemque proferantur. Ita enim demum fore confidimus, ut, quam falsa multa, incerta, nec temere secum invicem concilianda, in ipsorum dedecus consignata literis sint, liquido patescat. Utrumque vero breviter, summa, sat habentes, rerum sequi fastigia, præstabisimus. Neque enim historiam scribimus, sed rursus dissertationem.

§. II. Qui lectorarunt anteriorem, passim observare se meminerunt, plus me si dei græcis, quam latinis antiquissimorum cæsarum scriptoribus tribuere. Quod ergo judicium meum, necesse primum est, tuear atque ab exceptionibus vindicem. Si ingenium, doctrinam, dictionisque &

(2) p. 250. §. II.

copiam & venustatem species, Latinis plerumque Græci præstant. *Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqui.* Communis eruditorum lingua, quæ nunc romana est, apud Romanos erat græca. Quare eruditissimi, ut cæteri scriptores, ita historici, græco uti sermone amabant. Rectissime apud Fabricium (3) Tillemonius: „Non mediocriter, inquit, ad græ-,, ci Dionis existimationem facit, quod hi,, storia romana a temporibus, quibus ille,, definit, ad Constantimum usque longe est,, incertior perplexiorque. Nam Herodi,, ani (græci itidem scriptoris) historia ele,, gantissima quidem est -- . Lampridius,, & reliqui, qui latine historiam augustam,, sub initium seculi a Christo quarti comi,, posuere, vix digni sunt nomine histori,, corum. Aurelius Victor & Eutropius,, (rursum latini historici) nihil sere ege,, runt aliud, quam ut hos in compendi,, um mitterent, &c. Quantum nescire,, mus in vetustioribus Romanorum rebus, si Polybio, Diodoro Siculo, Plutarcho, totque aliis græcis autoribus destituere,, mur? Evidem prope absum, ne dicam, antiquitatum hujus populi scientia plenius nos & accuratius instruere Dionysium Ha,, licarnasseum, quam ipsum pene Livium.

Vv 4

E

(3) Bibl. Græc. lib. IV. cap. X. §. IX. p. 323.

Et prudentiam civilem quod attinet, non dubitat Conringius (4) scribere : „Quod „si profecto haberemus integros & hunc, „(Dionem Casium) & Dionysium Hali- „carnasseum, & Polybium, possemus si- „ne magno prudentiae dispendio ipsamet „latina Romanorum historia carere.,,

§. III. Cum vero nihil æque in historico, ac incorrupta desideretur fides; nihil æque, ac partium studium, culpetur: despiciamus, utri potius officio heic suo defuncti sint. Quod maximam historiarum conditori conciliat fidem, est, si σύγχρονος iis rebus, quas recenset, vixerit, quin si iisdem ipse interfuerit, nec tam auritus, quam oculatus testis dici queat. Verum nihil est, quod in eo altera sibi pars præ altera magnopere arrogaverit. Constat enim, neutrius augusteos historicos, qui quidem ætatem tulerunt, illis temporibus floruisse, quibus memoriae ab ipsis proditæ res aut omnes, aut certe insigniores acciderunt; & utriusque præcipuos fuisse coætaneos. Sic latini Tacitus & Suetonius eodem, quo Plutarchus & Appianus Alexandrinus graci, inclarerunt ævo, nimirum sub Trajano & Hadriano. Quare ad alia bona fidei

(4) Opp. Tom. III, p. 409. §. 38. fin.

dei γνωσματα & documenta nos conferamus. Fidem neque illis temere derogandam censemus, qui aliounde quidem, non tamen ex putidis, nihilque veri redolentibus lacunis, sed ex monumentis certis atque indubitatis, vel saltem de industria ad fallendum calumniandumque non compositis, sua hauserunt. Quam autem hoc nomine anteponendi Latinis Græci sunt! Illos, & in primis Suetonium præcedenti dissertatione (5) vidimus ex *incertis rumoribus, famosis libellis, & criminosissimis ilorum Romanorum scriptis*, qui libertate a cæsaribus *recens exuti recentibus odiis eorum res perfecuti sunt*, historias suas majorem partem consuisse: hi nihil ejusmodi in cæsarum fraudem scientes volentesque litteris mandarunt. Nam, quæ Dion Cassio objiciunt, tanti non sunt, ut in censum veniant, & dilui, ut paulo post apparebit, possunt. Provinciales fuerunt Græci, Plutarchus Chæronensis ex Bœotia, Nicænus ex Bithynia Dio Cassius, & Appianus, ut addi solitum ejus cognomentum manifestat, Alexandrinus. Quorum patriæ terræ, dudum ante senatus populique romanis subiectæ imperio, sicuti ipsos adsueverant non, nisi modeste & reverenter, de imperantibus loqui ac scribere, ita, post-

V v 5

quam

(5) §§. VII -- IX.

quam summa rerum ad cæsares transiit,
 & in eorum ignominiam stilo procaci ac
 inverecundo uti prohibuerunt. Sed
 vero Latini, natale solum Italianam fortiti,
 ut vel latina eorum nomina *Tacitus*, *Suetonius* indigitant, oriundique ab illis ma-
 joribus, qui libertate ipsi fruentes in alios
 imperium tenuerunt, liberius in cæsares
 invehuntur, & servitutis suæ autores tra-
 ctant injuriosius, ita demum se, quod fue-
 rint aliquando Troes, non dememinisse
 rati, si comminiscantur varia de victori-
 bus suis atque dominis opprobria.

§. IV. Est insuper aliud, quod
 majorem in modum præ Latinis com-
 mendat Græcos, & observatum jam
 Grotio (at quanto viro!) est, qui epistola
 ad Benj. Auberium Maurerium, Galliæ re-
 gis ad foederatas Belgii provincias lega-
 tum, data, insertaque Conringii Operi-
 bus: (6) „In romana, inquit, historia
 „obliviscendum non est, plus ferme fru-
 „gis e græcis autoribus, quam a romanis
 „hauriri: quia mores omnes ritusque pu-
 „blicos exteri diligentius observant tra-
 „duntque.., Cujus diligentiaæ suæ fidem
 vel eo abunde faciunt, quod involutissi-
 marum rerum longe verisimiliores dant
ra-

(6) Tom. III. p. 89. §. 12. fin.

rationes, quam Latini. Appium cenſorem, tradit Livius, (7) memori deūm ira, quod ſervos publicos ſolennia herculei ſacri docuiſſet, luminibus captum eſſe. Ve- rum, ſimulaffe eum ſolummodo coecita- tem, autor Diodorus eſt Siculus, inqui- ens: (8) οὐδὲ Ἀππιος τῆς ἀρχῆς ἀπολυθεῖς, καὶ τὸν αὐτὸν τῆς συγκλήτου Φθόνον ἐυλαβηθεῖς, προσεποιήθη τυφλὸς εἶναι, καὶ κατ' ὄπιλαν ἔμενε. Magistratu Appius abdicato ſenatus invidiam reformidans, coecitatis ſimulatione domi ſe con- tinebat. Infenſiſſimus Appio illi ſenatus ro- manus multis graviflimumque de cauſis fuit, quas & Livius, & Diodorus in antecedenti- bus recenſent. Quocirca inviſus ſenatu in- viſus & in ſenatu cupiit eſſe, quod non fa- cilius, quam ſi viſu ſe privatum fingeret, conſequi poterat. Quid ergo Livium au- dimus, ad miraculum & poenam θεύλατον configuentem? Ita enim orditur: Tradi- tur inde dicitu mirabile, & quod dimovendis ſtatū ſuo ſacris religionem facere poſſet. Dio- dori narratio quanto ſimplicior, & ma- lefactis Appii congruentior, tanto eſt pro- babilior. Etsi Livius fabulofis ſcriptori- bus minime accenſendus veniat, non ta- men a fabulis eo, quo Halicarnaffensis Dionyſius, studio romanam historiam re-

pur-

(7) lib. IX. cap. XXIX. fin. (8) Biblioth. His-
lib. XX. p. 774. C. lin. II. ed. Rhodom.

purgavit. „Tarpeji, ait, (9) qui romanæ
 „præerat arcii, filiam virginem auro cor-
 „rumpit Tatus, ut armatos in arcem ac-
 „cipiat. Accepti obrutam armis neca-
 „vere; seu ut vi capta potius arx videre-
 „tur, seu prodendi exempli causa, ne
 „quid usquam fidum proditori esset.“ Ver-
 rum ex Pisone observat Dionysius, (10)
 & sepulchri honore Tarpejam in sacratis-
 simo urbis colle, ubi ceciderit, affectam
 fuisse, & quotannis ei Romanos reddi-
 disse inferias, quorum neutrum eam, cre-
 dibile fit, vel a proditis, vel ab interfe-
 ctoribus consecuturam fuisse, si prodita
 patria occubuisset; immo sic dubitari vix
 posse, ait, quin, si quæ superfuissent osium
 ejus reliquæ, tandem ex refossæ essent
 atque disjectæ, ut hoc exemplo alii a si-
 mili scelere deterrerentur. Quocirca etsi
 integrum denique cuilibet faciat, pro ar-
 bitrio suo hac de re judicare, in superio-
 ribus tamen veriorem longe dicit Piso-
 nem, qui, Tarpejam, referat, poscen-
 tem proditionis mercedem, quod cuncti
 Sabini sinistris brachiis gestarent, hos ex-
 armatos Romanis prodere voluisse, i-
 psam vero proditam a nuncio suo, qui ad
 Sabinos transfugerit, horum scutis obru-
 tam interisse. Neque vero Livium excu-
 sat,

(9) lib. I. cap. XI. (10) lib. II. Ant. Röm. p. 107.

sat, quod tandem subjungit: *Sunt, qui Tarpejam, dicant, fraude visam agere, sua ipsam peremptam mercede.* Præterquam enim, quod, qui *visam*, inquiunt, *fraude agere*, non affirmant, de fraude ejus certo Sabinis constitisse, appendicula illa ita est comparata, ut facile liqueat, alteram narrationem Livium anteferendam duxisse. Redintegrato inter Romanos & Sabinos proelio, raptas, perhibet idem Livius, (11) mulieres, quarum ex injuria bellum ortum erat, crinibus passis scissa que veste, victo malis muliebri pavore, ausas se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto, diremisse infestas acies, diremisse iras. Quanto sanior iterum Dionysius refert, (12) cum uterque populus, atrocissima dubio Marte commissa pugna, ad pacem inclinaret, neuter vero, ne se victimum fateretur, ejus facere mentionem prior auderet, videntes illud Romanorum uxores sabini generis, propter quas bellum gerebatur, cœtu facto absque viris arbitris, decrevisse ambos ad colloquium & conciliationem invitare, & facta a Romulo & senatu romano potestate, in castra Sabinorum honeste modesteque profectas feliciter id, quod in se suscepserant, perfecisse? Cumprimis

ve-

(11) lib. I. cap. XIII. (12) lib. II. Ant. Rom. p. 110.

vero omnem exsuperat fidem, quod de occidione gentis fabiae Livius commemo-
rat. *Fabii*, scribit, (13) *cæst ad unum o-*
nnes. Trecenos & sex perisse, satis conve-
nit; unum prope puberem ætate relictum, stir-
pem genti fabiae futurum. Quod si Palæpha-
tus aliquis aut Heraclitus in sua incredibi-
lium narraret historia, dari venia posset.
An enim gens, quæ adeo se diffuderat, ut
sex supra trecenos militaris ætatis viros, pa-
tricum exercitum, quemadmodum adpellat Florus, (14) in aciem sola educeret,
unicum modo impuberem habuit sive filium
sive nepotem? Quot in ea conjugatos, ne-
cessere est, extitisse? An horum omnium
tam infœcunda matrimonia fuerunt, ut
unam masculam tenerioris ætatis sibi reli-
quam sobolem viderent? Ubi collegium
aliquod nostro est ævo, quod, licet multo
paucioribus constet membris, non malto
pluribus ejusmodi gaudeat filiis? Supre-
mus patriæ urbis confessus viginti octo
numerat proceres. Num vero iis omni-
bus unus tantum est parvulus filius, ne-
posse? Pariter venerabile ministerium
nostrum septendecim pastoribus totum ab-
solvitur. Sed propitium Numen, precor,
avertat, ne illa unquam ingruant tempora,
quibus aut hujus, aut illius imbellis pro-
ge-

(13) lib. II. cap. L. fin. (14) lib. I. cap. XII;

genies ad inauditam ejuscemodi redigatur paucitatem atque inopiam. Græcus Dionysius anile istud commentum, quod tamen vulgo creditum Latinis est, non solum argumentis omni exceptione majoribus confutat, sed & erroris scitisime pandit incunabula. (15) Videlicet observat, in numerosissima gente fabia tres eminuisse fratres, Cæsonem, Marcum, & Quintum, qui septem continuos gesserint consulatus, interque eos soli Marco superstitem fuisse filiolum. Hunc igitur esse *impuerem illum*, qui *unus e fabia* gente reliquus mansisse perhibeat. Nam quia nemo e cæteris præter illum adulta ætate inclaruerit, natam hinc vulgi opinionem, eundem unum ex tota hac gente relictum fuisse, non quod nullus prorsus alias, sed quod nullus clarissimis genitoribus atque majoribus, virtute cognationis spectata, non propagine, similis relictus sit. Ex quibus Dionysii simul patet, adoptantes vulgi fabulam, latinos scriptores γένος, gentem cum ὄντα, domo vel familia, qua immane quantum differunt, confusisse. Gens quasi totum erat, & familia pars; quoniam multas plerumque familias una gens complectebatur; id quod antiquitatum romanorum vel leviter tincti notitia compertum habent.

§. V.

(15) lib. IX. Ant. Rom. p. 580.

§. V. Inter illos Græcos, qui res primorum cæsarum in historiam contulerunt, principatum tenet Dio Casius, vestissimi operis, potissima romanæ gentis inde ab adventu Æneæ in Italiam (15) ad Alexandrum usque Severum fata factaque octuaginta libris complexi, conditor. Dolemus ex animo, partem ejus longe majorem intercidisse; sed in gravi jactura recreat tamen nos & reficit, quod ii potissimum libri, qui in præsenti argumen-to usui esse queant, ætatem tulerint. Ple-rique enim integri extant, oppido pauci-mutili, & deperditorum multa nobis ex-cerpta atque fragmenta epitomatores Xi-philinus, & quidam Theodosius, itemque Zonaras asservarunt. Præcipua laudi-ducitur scriptori huic, quod cuncta suis divisa temporibus, serieque rerum apte digesta, commemoret, præmissis unicuique libro illis ab Urbe condita annis cum suis singulorum consulibus, quibus, quæ eo continentur, acciderunt: quod quia, ut jam observavimus, (16) secuti ipsum ad usq[ue] Constantinum historici romani passim neglexerunt, incertior multo ac turbatior omnis eorum temporum decur-rit historia. Arcanorum imperii tam gna-
rum

(15) Photii Biblioth. p. 106. ed. Andr. Schott.

(16) §. II. hujus Diff.

rum se, quam gnavum demonstrat indagatorem, & civilis omnis publicique juris peritissimum; quod nec est, ut in viro, summis functo honoribus, & reipublicæ administrationi multifaria ratione & repetitis sâpe vicibus admoto, quemadmodum pariter jam occupavimus dicere, (17) iniremur. Stilum denique prædicant sectatorem veteris constructio-
nis, eundem commendant sublimem, qui rerum, quas enarret, magnitudini respon-
deat, cujusque, licet parenthesibus tra-
jectæ periodi, numerus plenior, longi-
ora hyperbata, & intercisiō sollicitior sit,
mira tamen efficiat perspicuitas, ut adhi-
bita cuncta in loco videantur, vixque ul-
lam legentibus injiciant remoram; exu-
berans vero gratia & acumen insitum nu-
triat atque exhibaret. Thucydidis, in-
quiunt, ænulus obscuritatem vitavit Thu-
cydidis; de cætero tam gravis, limatus
ac subtilis, ut secundus a Thucydide fit.
(18)

§. VI. Ex adverso autem nemo est, qui non insignis partium studii, a quo alienum inprimis esse historicum oportere monuimus, (19) Dionem nostrum insi-
T. II. P. IV. X x mu-

(17) præced. diff. p. 292. (18) Photius cit. loco.

(19) §. III. init.

mulet. Imperatoribus eum, dictitant, adulari; obtrectare vero & calumniari pasim innocentissimos optiuneque meritos de republica romana & posteritate omnis memoriae viros, Ciceronem, Brutum, Cassium, Senecam, alios. Adulationis Caesarum teneri eum crimine, ex illis vocibus, quibus Julii Caesaris cædem improbat atque detestatur, (20) liquere, Xiphilinus potissimum (21) & Casaubonus (22) existimant. Calumniæ vero complures, facto quasi agmine, ei inurunt maculam. Gerh. Joh. Vosius: (23) „Unus, ait, sed latæ admodum culpæ, absolvere Dionem non possum; quod quædam seu judicii, seu morum pravitate, virtutes suo pretio æstimare nescit; sed virus suum ejaculatur in optimos & præstantissimos viros, ut Ciceronem, & Brutum, Cassiumque, & L. Senecam. Omnino hæc aut insigneum judicii defetum, aut malam mentem arguunt.„ Jac. Gronovius: (24) „Dio cum compluribus suis hac in re nulla fide dignus est, optimorum e Romanis obtrectator.„ Jo. Alb.

(20) lib. XLIV. p. 240. sq. p. 244. D. & p. 266. C. D. &c. (21) p. 157. lin. 40. &c. ed. Sylburgii.

(22) animadvers. in Sueton. Jul. Caſ. p. 38. col. a. num. 42. ed. Paris. MDCX. (23) de historic. grec. lib. II. cap. XV. sub. fin. (24) ad Tacit. Annal. lib. XIV. cap. VII. p. 567. init.

Alb. Fabricius: (25) „Senecæ, Brutii, Ci-
ceronis parum æquum se præstat Dio,,
censorem in scriptis, quæ habemus: un-,,
de vapulat Francisco Pithœo in Pithœa,,
nis, Justo Lipsio, aliisque.,, Qui supple-
vit historiam Gundlingii literariam, no-
tasque ei prolixas subjecit, C.F.H. (26)
„Man hält den Dionem Casium vor einen,,
Schmeichler und columniatorem.,, Cumpri-
mis indignissime fert Lipsius, quod Se-
necam suam Dio nullibi non, ut quidem
ille dicit, atro carbone notat. In vita
hujus philosophi: (27) „Ubique, ait „
Dio infensus, & ex professo hostis est,,
nostro.,, Ac paulo post: „Magnum hoc,,
fuit, quod Dio objicit, si verum: nam,,
ita semper in Dionis objectionibus caven-,,
dum est.,, Porro ad Tacitum: (28) „Dio,,
omnes res relictas habet, prætul culpet,,
inculpatum Senecam. Ita adulterium illi,,
objicit cum Agrippina; pullarium eum,,
fuisse ait, idemque vitium ab illo insitum,,
Neroni; causam autoremque interfectæ,,
matris; aliaque, quæ homo vanus præter,,
fidem præterque omnium mentem con-,,
viciatur velut e plaustro. Quibus odii,,
causis, aut quo mendacii pretio? Nam,,

X x 2

Se-

(25) Biblioth. Græc. lib. IV. cap. X. p. 325. (26)
p. 1057. med. (27) cap. VI. med. (28) Annal.
lib. XIII. cap. XLII. p. 540. ed. Jac. Gronovii.

„Seneca tanto anterior, non injuria, non
 „beneficio cognitus illi. Sed, credo, ju-
 „dicii quædam morumque perversitas fuit,
 „quæ eundem illum in Ciceronem exa-
 „cuit; quæ in Cassium, Brutum, omnes-
 „que bonos. Caveat ab his, moneo, ju-
 „ventus; & e campis illis ita antiquitatum
 „& historiæ flores legat, ut non colligat
 „venena... Rursum: (29) „Fides tibi,
 „Corneli, magis curæ, quam Dionis qui
 „Senecam autorem impulsoremque uni-
 „cum Neroni ejus criminis facit, idque a
 „fide dignis multis traditum esse. οὐδὲ
 „μὸν ἔποτε τὴν σῆθεσσαν ἐπειθε.., Ac deni-
 que: (nihil enim necesse est, inventi-
 vum omnem Lipsii sermonem repetere)
 (30) „Lege hæc cum sequentibus, &
 „admitte, fodes, calumnias Dionis..,

§. VII. Sed vero, quod dico invitus,
 & salvo honore, qui eruditissimorum vi-
 rorum debetur meritis, dico, criticorum
 mihi natio dignoscere vocum apices apti-
 or nata videtur, quam sobrium solidum-
 que de politici scriptoris ingenio, mori-
 bus atque instituto ferre judicium. Qua-
 veri specie Julii Cæsaris eum perhibent
 adulatorem, qui multoties Julium Cæsa-
 rem

(29) Annal. lib. XIV. cap. VII. p. 565. (30) An-
nal. lib. XV. cap. LXI. p. 675.

rem vituperat, & illa principis hujus criminis, artesque & fraudes partim in lucem protrahit, partim aggravat & comminiscitur, quæ ante eum nemo alias? Videbimus suis postmodum locis. An, quod ejusdem Cæsaris injustissimam pronuntiarit cædem, tam inclementer habendus fuerat? Injustissimam judicarunt & mox Romani tantum non omnes, & multi alii historiæ augustæ conditores, & perspicacissimi quique ac integerrimi recentiorum temporum; nec judicare aliter aut ego possum, aut posse te, Lector, perlectis, quibus improbabitur, argumentis meis, confido. In diversum abiens Xiphilinus, indignissimus est, qui audiatur. Multa pingue ingenium vitio vertit Dionis, sed nihil, quod nequeat vel laudari, vel certe excusari; semperque obliviscitur, christianum se, gentilem vero esse Dionem. Scilicet modo eum accusat, quod contra Polybii exemplum frequentior in commemorandis sit prodigiis; (31) modo, quod sciens volensque mentiatur, miraculum effusi in laborantem siti romanum exercitum largissimi imbris, vibrataque in hostes Quados fulmina non ad autorem Christum, christianæque legionis, quæ ex eo Fulminatrix appellata

X x 3 fit,

(31) p. 171. l. 34. & p. 186. l. 39.

666 Henr. Heisen Dissert. posterior

fit, preces, sed ad Arnuphin, magum ægyptium, & dominantem in aëre Mercurium, aliosque dæmonas referens. (32) An vero, qui ostenta ostentat singulis fere paginis, Livius; an, qui eadem vitis suis parallelis crebro inspergit, Plutarchus; an tot alii, qui ea non eliminant, historici exploduntur, nec veniam, quod ethnici sint, impetrant? Devocata cœlo a legione fulminatrice fulmina ne quidem credunt multi ævo nostro Christiani: & brutum superstitione tua, Xiphiline, fulmen in infitiatum torquet gentilem? Satis credulus est, quod miraculo delapsos imbræ jactaque jactat fulmina. Miraculi autrem qui credere Christum potuit, quem non credidit Deum? Frustra es dictitando: *Scivit tamen, ad christiane legionis preces editum fuisse, inditum scivit hinc legioni illi fulminatricis nomen.* Neque enim aliud quidpiam ad probandum affers, quam quod in recensione legionum romanarum, & fulminatricis eujusdam Dio mentionem faciat. Verum id nominis dudum jam ante imbriferum hoc & fulminosum miraculum legio romana tulit, nec alio sensu, quam quo fulmina belli Scipiadæ Maroni audiunt. Quæque miraculi effecta & adjuncta subjungis, tam incredibilia, inepta, absurdæ.

(32) p. 366. l. 40. seqq.

surda, atque nugatoria sunt, ut nec victa
situ verique effœta anus sibi ea persuaderi
patiatur. En unum. Non imber, scribis,
(33) juvabat barbaros, sed immissas ei flam-
mas etiam magis, velut oleum, excitabat; ita
ut aquam requirent pluvia perfusi, inflige-
rentque sibi vulnera, quo ignem sanguine re-
stinguerent. Pars confugiebat ad Romanos;
quasi illis tantummodo aqua salutaris esset.
An enim & hoc tibi Dio præscripsit? Du-
bito equidem. Prodigii addunt somnia,
qui elevatum Dionis fidem eunt. De so-
nniis, inquiunt, & prodigiis, quorum causa
Septimius Severus imperatorum speraverit
fustigium, scripsisse se librum; somnioque se
primum ad conficiendam historiam suam impul-
sum, utque pergeret, confirmatum deinde alio-
ipse fatetur. (34) Quis ergo, inferunt, non
abrogandum fidem censeat vano somniatori?
Verum sic quoque nullius fidei fuerunt,
quaecunque Plinius Major de bellis Ger-
manicis scripsit. Nam ita Minor: (35)
, Bellorum Germanicæ viginti libros a-,
vunculus meus composuit, quibus o-,
mnia, quæ cum Germanis gesimus, „
beila collegit. Inchoavit, quum in Ger-,
ma-

XX 4.

(33) p. 367. l. 47. (34) Dio Cass. I. LXXIII. p.
828. D, E, &c. ac lib. LXVIII. p. 884. C. &
Xiphilin. p. 385. l. 16. sqq. & p. 439. l. 13. sqq.
(35) lib. III. epist. V. sub init.

,,mania militaret, somnio monitus. Adstir-
,,tit enim quiescenti Drusi Neronis effi-
,,gies, qui, Germaniæ latissime victor,
,,ibi periit: commendabat memoriam su-
,,am, orabatque, ut se ab injuria obli-
,,vionis affereret.,, Utinam vastum opus
extaret! Nec somnium faceremus tanti,
quo minus pleraque ejus crederemus;
nec in quam plurimis Majorum nostro-
rum rebus propiores somniantibus esse-
mus, quam vigilantibus. *Omnia, que sen-
su voluntur, vota, diurno, pectore sopito
reddit amica quies;* canit CLAVDIA-
NVS. An igitur par fuerit exsibilare
virum, qui, quo tempore maximæ mo-
lis opus animo agitavit atque affectavit,
& per quietem se de eo cogitasse testa-
tur, quemque, ut Sabini, quod volunt,
somniant, ita volentem historiæ suæ au-
toritatem conciliare, soporata ratione,
phantasia deæ Fortunæ & Severi impe-
ratoris, in proposito ipsum suo confir-
mantum, luserit imaginibus? Quid
quod ipse ille somniorum liber, & ipsum
illud geminum somnum fidei Dionis am-
plissimum gravissimumque perhibeant
testimonium. Dicto libro ea complexus
somnia est, quibus erectus in spem impe-
rii Severus fuit; adeoque eum in gratiam
hujus imperatoris edidit: editum ad eun-
dem misit, qui evoluto illo multa egre-
gi-

giaque rescriptit autori. Porro, quæ pri-
ori somnio jussus de Commodo scripsit,
& ea lecta Severo mirifice placuerunt; ac
posteriori visus ipsi hic cæsar est in ex-
celso sedere folio, dicereque: Propius huc
accede, Dio, ut omnia, quæ dicuntur
suntque, diligenter intelligere & per-
scribere possis. Quæ cuncta excitatis lo-
cis (36) ipse refert. Jam quotusquisque
est, qui non in principis tanta se gratia
prosecuti rebus gestis percensendis adul-
atorio stilo uteretur? Nihilo secius tantum
abest, ut usus sit Dio, ut vitia Severi,
perfidiam ejus, austeritatem, saevitiam,
impunitatem gravissimorum scelerum,
summe culpabilem indulgentiam, atque
avaritiam tam libere, quam candide in a-
pricum protulerit. (37) Neque cæterorun
ipsi descriptorum imperatorum est ullus,
eius non quædam saltem (ut vitiis nemo
fincit, & optimus ille est, qui mi-
nimis urgetur) tetigerit damnaritque cri-
mina. Trajanum certe ex sententia Dod-
welli tam vituperat, ut hinc fides ejus la-
boret, & calumniator potius laudatissimi
imperatoris, quam habendus adulator sit.

XX 5

Ita

(36) lib. LXXIII. p. 828. D. E. & lib. LXXVIII. p. 884.
C. I. 10. sqq. (37) lib. LXXIII. p. 837. D. I. 7. coll.
lib. LXXV. p. 850. I. 7. & p. 853. B. C. p. 854. E. p.
855. A. p. 857. C. I. 5. lib. LXXVI. p. 868. C. I. 5.
& p. 869. B. I. 2. &c.

Ita enim Fabricius: (38) „In rebus Trajanis non magna fide dignum esse Di-
„onem , & maligno in Trajani memo-
„riam autore usum , contendit H.
„Dodwellus , quem vide prælectione
„cambdeniana quarta.,, Liber Dodwelli
mihi non est ad manus , & certius ferre
judicium possemus , si Dionis τὰ κατὰ
Τραϊανὸν Res a Trajano gestae , quorum me-
minit Suidas , (39) atatem tulissent . Nam
etsi hoc opusculum Fabricius (40) non
dubitet ab autore postea insertum majori
historiæ romanæ operi fuisse , tamen & eo
excidit , contentosque nos esse oportet
Xiphilini ac Theodosii excerptis , quæ ve-
ro non satis nos instruunt , præsertim quod ,
fatente rursus Fabricio , (41) prior quæ-
dam Dionis notatu digna sicco pe-
de præterierit . Quantum igitur ex re-
liquiis illis perspicere possum , tria potis-
simum Trajano improperat Dio , vino-
lentiam , puerorum amores , & nimium
prolatandi imperii fines ex immensa amb-
itione studium , quo incensus illas terras
fecerit provincias , quas deinceps tueri
nequierit , quæque propter impendium rei-
publicæ non utiles , sed damnosæ fuerint
futuræ . Verum ecquod horum trium po-

(38) Biblioth. Græc. lib. IV. cap. X. p. 324. sub
init. (39) in Διων ὁ Κάσσιος. (40) loc. cit.
p. 325. init. (41) loc. cit. p. 324. §. X.

ſtulari calumniae potest? Num vinolen-
tia? Atqui & Spartanus, & Lampridius,
& Julianus, & Aurelius Victor, ut ad ho-
rum primum obſervat Casanbonus, (42)
& denique Zonaras (43) hujus incuſant
vitii Trajanum: quos omnes unum ſecu-
tos Dionem, dici quidem, ſed non pro-
bari potest. Nec Dionis fidei præjudi-
ciuni fecerit, quod Aurelius Victor in pri-
mis addat, *curari Trajanum iuſſa ſua veſtuiſſe*
poſt longiores data epulas. Nam & ipſe tam
æquus eſt, ut adjiciat: „Nihil ob,,
eam cauſam turpiter aut nequier fecit,,
paſſuſve eſt, quamobrem jure repre,,
henderetur. Licet enim vinum largiter,,
biberet, tamen ſobrius erat.,, Gravius
crimen objecta Trajano a Dione pædera-
ſtia eſt. Sed an a ſolo? Autorne Spartia-
nus (44) eſt, *curaffe Adrianum Trajani de-*
licatos, eosque leviffé per ea tempora, quibus
in aula familiarior fuerit? Quinam ſunt de-
licati illi, niſi οἱ μαλανοὶ, τὰ παιδιὰ, οἱ
ἔρωμενοι; Aut an delicatos aulicorum, nec
potius ipſius principis Trajani fas fuerit
intelligere? Quid apud Julianum (45) con-
ſpicatus Trajanum Silenus? *Jam, ait,*
ſumma cura & diligentia adhibenda eſt domino
Jovi

(42) Adriano cap. III. p. m. 12. (43) p. 584. §.
XXI. C. I. 11. Corp. Byzant. (44) Adriano cap. IV.
p. m. 19. lin. ult. (45) in Cæſaribus p. 835. l. 35.
edit. Sylburg.

Jovi, ut illi custodiatur Ganymedes. Quid iterum? (46) Quare, inquit, Trajane, ignobilissimis perturbationibus succubuisti? Magnus Alexander ab ira, tu at turpi & fædissima voluptate vicitus es. Postremo de singulari ambitione Trajanii, suscepitis ab eo bellis non necessariis, & provinciis ingenti potius damno, quam ullo emolumento rei romanæ factis nihil scripsit Dio, quod non testatissimum sit, & ipsa mox abunde comprobarit experientia. Quare etiam successor Hadrianus, non gloriæ Trajanii invidens, quæ infrunita plerorumque sententia est, sed utilitatis, immo necessitatis habens rationem, quæcunque trans Euphratem ac Tigrim ille occuparat, deferuit, & pristinum imperii terminum restituit, dictum Euphratem. Evolvendus præter cæteros Spartianus est, (48) ad quem rectissime Casaubonus: „Hadriani factum reprehendunt plerique omnes: „non illi, opinor, improbent, qui sta- „tuunt cum sapientissimo principum, Au- „gusto, & publicam habendi cupiditatem „esse coercendam. Quamobrem Diocle- „tianus, princeps & ipse prudentissimus, „Augusti præceptum, Hadrianique ex- „emplum secutus imperii fines a meridie „supra Ægyptum arctavit: autor est Pro- „copius in Persicis.” §. VIII.

(46) Ibid. p. 850. l. 16. (48) Hadrian. cap. V. p. 23.

§. VIII. Missis tandem aliquando imperatoribus, ad liberæ reipublicæ viros principes convertimur. Ciceronis facundia, philosophia moralis Senecæ, & utriusque ingenium, eruditio, atque eximum virtutis, quod præ se fert, studium plerosque fascinarunt, ut, quemadmodum scripserunt, ita & vixisse viros illos sibi persuadentes, si quid eorum legant reprehensum, malæ statim fidei autorem arguant, damnent. Ad eandem rationem libertatis tam amabile, quam odiosum servitutis & detestabile tyrannidis, nonien efficit, ut vituperatos ejus vindices, Brutum atque Casium, moleste ferant. Latinos ante & frequentius, quam græcos autores, inque latinis primum ac præcipue Ciceronem evolvunt. Militant vero latini pasim pro avita sua libertate, ejusque assertores in cœlum efferunt laudibus; deprimunt contra eosdem græci, & in primis Dio Casius, qui unius favet dominatui, & cæsarum causam agit.
(47) Quare nihil mirum est, si, quicunque imbuti & præoccupati latinorum sententiis sunt, quorum, ut dixi, longe maxima turba est, tam faciles ad Dionis Casii infringendum sint fidem, & calumniæ ei foedam labem aspergendum. Illud tan-

(47) conf. §. III. huj. diff.

tantum mirari subit, quod superstitionis ve-
neratores Ciceronis ex Ciceronis lectione
tam parum profecerint, ut nesciant in-
signes viri, quos plurimis locis ipse com-
memorat ac prædicat n̄vros, statimque
frontem caperent, si qua eum ignominia
notatum a Dione Casio offendant. De-
dita aliquando opera, quia jam per pro-
lixitatem non licet, & ipsum, & Brutum
Casiumque, & Senecam veris vivisque,
animus est, depingere coloribus, idque
potissimum dare operam, ut planum fa-
ciam, non idcirco mendacii ac calumniaz
reum agendum fuisse Dionem Casium,
quod indicta aliis historicis eorum vitia
prodiderit. Quanquam ex multis jam hu-
jus opellæ, ad Julium Cæsarem deinceps
& Neronem proferendis, de eo constare
poterit. Quin imo, ne stoicæ sectæ in-
faniens amore Lipsius calumnias suas, qui-
bus, in gratiam philosophi stoici, calum-
niatorem ipse facturus Casium nostrum,
vel levissima data ansa in culpæ exfortem
debacchatus est, impune tulerit, hoc ad-
huc loco ei repandam. Est, ubi Sene-
cam Diο sapientissimum omnium sui tem-
poris Romanorum appellat, aliisque in-
super afficit laudibus. Ita enim ἡγετῶς.
(48) οὐδὲ δὴ Σενέκας οὐ Αὔγιος Δάκηος, οὐ πάντας
μέν

(48) lib. LIX. p. 655. B. 15.

μὲν τὸς καλὸς ἑαυτὸν Φωκίδης, πολλὸς δὲ καὶ ἀλ-
λαγῆσ σοφίᾳ ὑπερέσιρας, διεφθάρη παρὸς ὄλιγον,
μητὶ αἰδηπόστας τί, μῆτε δόξας, ὅτι δίκην τινὰ εὐ-
τῷ συνεδρίῳ παροντος αὐτῷ καλῶς ἔπει „L.“,
vero Annæus Seneca, omnes sui tempo-„
ris Romanos, multosque alios sapientia,,
antecedens, pene interiit, neque ullo,,
suo peccato, neque opinione peccati ; „
sed quod causam aliquam in senatu, præ-„
fente Caligula, egregie egisset., An er-
go vituperator, vel, ut tu, Lipsi, mavis
loqui, calumniator tantum Senecæ Dio-
est, nec etiam laudator ? Senecæ fateris
amiciorem Tacitum, uti infensiorem Di-
onem. Et ipsa tua dabo verba : (49) „In,,
Senecam & Burrhum criminatio spectat : „
quam diluit tamen leviter ipse Tacitus , „
Senecæ ubique volens & amicus ; aliter „
quam ille bithynus, qui iniurias cum „
Seneca indictas exercet, & ex professo.,
Quid verborum, quæso te, Lipsi, effuti-
isti ? Qui ubique viro alicui volens & ami-
cus deprehenditur, an veracis alienique a
partium studio historici implesse numeros
omnes censendus est ? Si nemo sine cri-
mine vivit vixitque, quot eum locis, ne-
cessè est, crimina sui illius viri silentio
obliterasse, dissimulasse, quin conver-
tis-

(49) ad Taciti Annal. lib. XIII. cap. XVIII. init.
num. II. p. 513. ed. Gronov.

tisse in vicinas virtutes? *Ubique* ex tua sententia Senecæ amicus Tacitus, *ubique* initicitias cum Seneca Dio exercet. Cur igitur non utrumque ex a quo rejicis? Si id nequis, cur alterum probas ubique, nullibi alterum? Itane juste agis, Juste! Qui scripsisti quidem de constantia, sed inconstans fuisti in religione, num & heic tibi constas? Haud putem ego. Illum enim in Senecæ rebus ubique sequeris, quem ubique volentem amicumque Senecæ confiteris, atque adeo si minus ubique, at saltem alicubi per illam suam voluntatem & amicitiam veritati vim facientem deferere debueras. Qui post Lipsium nostra patrumque nostrorum floruerunt memoria eruditissimi viri, illis nulla religio est, Senecam gravium postulare delictorum. Doctrina magis sua, quam purpura eminentissimus Henr. Norisius cenotaphiis pisaniis: (50) „Nec enim, ait, fidem facit Seneca eo in libro, in quo maximum liberti Claudi adulatorem agit, Tandem quid ex uno Dione Cassio boni viri modo adulatorem, modo calumniatorem exsculpunt? Annon & alii a causa primorum stant imperatorum, & in adversarios eorum, libertatis propugnatores, invehuntur? Annon & Plutarchus

(50) *dissert. II. p. 539. D. Tom. III. Opp.*

chus Jul. Cæsarem excusat , incusatque cum Bruto & Cassio Ciceronem ? *Vehe-*
mentius tamen, dicens, *utrumque facit Dio.*
Verum clarius ille videt, quam latini hi-
storici primis imperatoribus obtrectent,
contraque ultimis liberae reipublicæ guber-
natoribus stilum suum gratificantur. Nam
eo etiam consilio mihi scripsisse videtur,
ut multis inquinatam fabulis mendaciisque
augustam historiam emundaret , quæque
cæsares in se non admisissent horrenda
facinora , nec illorum porro infamiam a-
pud posteros subirent. De cætero lucu-
lentus autor est , qui tam caste integreque,
quam accurate & industrie in suscepto ar-
duo versatur negotio , ut , quantum fidei
universa historicorum latinorum cohors,
tantundem ipse propemodum solus mere-
atur. Liberrimi tamen est calami , con-
deditque , ut de Lucilio Plinius , stili na-
fam , nullius temere parcens vitiis , five
imperator ille , five quis e primoribus fu-
erit Romanorum. Cum Cicerone , vel-
lem , & Seneca paulo egisset mitius : ne-
que vero de industria , quod videam , sce-
lera illis affingit , ut probrosum calumniato-
ris nomen in ipsum quadret.

§. IX. Dion Cassio componimus , ut
opponamus , Suetonium : quem autem ,
nihil attinet , multis accusemus , cum ipse
T. II. P. IV. Xy post-

postmodum se accusaturus satis atque super sit. Notatu in primis dignæ Spartiani in Hadriano sunt vōces: (51) „Septicio „Claro, præfecto prætorii, & Suetonio „Tranquillo, epistolarum magistro, mul- „tisque aliis, quod apud Sabinam uxorem „injussu ejus familiarius se tunc egerant, „quam reverentia domus aulicæ postula- „ret, successores dedit.“ Largiuntur docti viri per Suetonium Tranquillum designari eundem illum, de quo nos quā- rimus, duodecim primorum cæsarum scriptorem; & vix intelligi alius potest. Neque enim solum nomen & cognomen convenient, sed & actas atque officium; cum ex multis Plinii junioris epistolis indubitate constet, Suetonium nostrum vi- citasse sub Trajano, quem statim in imperio exceptit Hadrianus, ut ad hujus facile dominatum vitam producere quive- rit, nec credibile sit, eruditissimum prin- cipem, Hadrianum sibi alium ab episto- lis, quam virum pariter eruditum, qua- lis scriptor hic fuit, adsciscendum duxisse. Taceo multa cætera sententiaz hujus præ- fidia. Qua vero sua culpa Suetonius, & quos innuit, reliqui, officio quisque suo, moti fuerint, obscurius tradit Spartanus, dicens; *quod apud Sabinam, Hadriani uxo- rem,*

rem, *injussu ejus familiarius se tunc egerant*, quam reverentia domus aulicæ postularet. Ridiculi sunt, qui familiaritatem illam ad impuros trahunt amores atque adulteria. E-nimvero additur *injussu Hadriani*, quæ verba otiosa sunt, funduntque sensum, quem per se quilibet intelligere potest, nisi, alio tempore idem *jussu Hadriani* fecisse, statuamus. Omni tempore omissis, qui suam amat conjugem, princeps ab omnibus ministris suis eam *familiarius*, quam reverentia domus aulicæ postulet, tractari, non modo non jubet, sed &, licet taceat, prohibet. Hoc, qui cum principe versantur, norunt universi, idem nos, quicunque principum evolvimus historias, probe tenemus, neque tanto judicii labaravit defectu Spartanus, ut docendum id monendumque lectorem suum expressis vocibus arbitraretur. Sed vero Hadrianus, qui, quemadmodum extemplo sequitur, aversior ab uxore Sabina, utpote morosa & aspera, erat, quo per alios ipsi par pari referret, certos videtur homines certo & circumscripto, non omni tempore iussisse, ut familiarius cum ea agerent atque irreverentius. Quo igitur inducti ac irritati Septicius, Suetonius, & multi alii idem sibi licere arbitrati sunt; id vero ubi rescivit viditve imperator, petulantiam ipsorum, quam *injussu suo & alieno tem-*

pore exercuissent, ita ultus est, ut a
muneribus suis omnes amoveret. Sic si
interpreteris, idonea suppetit ratio, quæ
Spartianum moverit, ut & *injussu ejus*, &
vocablam *tunc* diserte adjungeret; nec
quicquam est, quod in autoris sapientia,
hoc quidem loco, desideres. Egerant
injussi a domino suo, intempestive simul
egerant, sive *tunc temporis*, cum ille im-
probaret: ergo, qui de gradu dignitatis
dejicerentur, non poterant indigni videri.
Quid autem egerant? Certe non aliud,
quam quod impune alii alio tempore,
quia jusli. Illud vero, quid tandem fuit?
Num impudicitia & adulterium? Sed an ul-
lus tam vecors est princeps, qui ministros
suos jubeat stuprare conjugem suam, qua-
cum nolit divortium facere? Jam vero no-
luisse hoc Hadrianum, apertissime statim
Spartianus indicat, pergens: *Uxorem et-*
iam, ut morosam & asperam, Hadrianus di-
missurus, (ut ipse dicebat) SI privatus fuisset;
quod autem minime fuerat, eratque. Quo-
cirea illud *& familiarius se agere accipia-*
mus, oportet, de familiarioribus ejusmodi
actionibus, quæ inter familiarissimos qui-
dem, & longo sibi usu cognitos, nec ex-
itate, fortunis ac gradu multum dispare
amicos locum habent, atque condonan-
tur; sed quibus abstinentum apud igno-
tos, & maxime apud honoratissimum
quem-

quemque est, qui, quantum dignitate a-
gentem exsuperet, tanto majori se igno-
minia affici suo jure existimare queat. In
quam sententiam plautinus ille Menach-
mus: (52) *Certo, inquit, hæc mulier aut*
insana, aut ebria est, Messenio, hominem quæ
ignotum compellat me tam familiariter: & ab-
jectissimæ sellæ, quas vel nominare pudor
atque decorum prohibent, Varroni (53)
audiunt familiares, sive, ut alii legunt, fa-
miliaricæ. Germani nostri hoc familiarius
se agere vocitant sich zu gemein, aut zutäp-
pisch, vel proprius ex gallico sich zu fami-
lier machen. Etsi autem Salmasius (54) ad
Spartiani, quem excutimus, locum scri-
bat: „Qua vero in re, aut quid agendo,“
vel dicendo isti nimium familialiter ege-„
rant apud Augustam, tacet Spartianus, „
nec nos possumus dicere ;, & Hadrianus,
utpote suspiciosus admodum & irritabilis
princeps, satis arctis inclusisse limitibus
eorum licentiam videatur, quos agere ita
apud uxorem suam, ut diximus, jusfit;
in promptu tamen est, maximam partem
conjicere, quid egerint, & quo pacto.
Scilicet generatim irreverentius cum impe-
ratoris conjugè egerunt, quod nec Spar-
Yy 3 tia-

(52) Menachmi Aft. II. Scen. III. vv. 22, 23.

(53) de re rust. lib. I. cap. XIII. (54) p. 27. B. ed.
Paris. MDCLXX. Fol.

tianus filet, cuius verba sunt: „Familia-
 „rius egerant, quam reverentia domus auli-
 „cæ postularet;„ speciatim & gestibus, &
 vocibus, & factis contumacibus contu-
 meliosisque , aut certe vel nullum, vel
 exiguum præ se ferentibus honorem, ei il-
 luserunt, detrectarunt morem gerere ejus
 mandatis, & corripientem vicissim objur-
 garunt, jocis ipsa coram usi sunt tam il-
 liberalibus , quam liberis ; & quæ hujus
 furfuris complura sunt alia. Qui fidem
 Aurelio Victori habet , multo atrociora
 judicaverit adjungi debere. Ita enim ille:
 (55) „Hadriani uxor Sabina , dum prope
 „servilibus injuriis afficitur , ad mortem
 „voluntariam compulsa est. Quæ palam
 „jactabat, quam immane ingenium pertu-
 „lisset; & elaborasse, ne ex eo ad huma-
 „ni generis perniciem gravidaretur.. Sed
 fac , servilibus injuriis affectam Sabinam
 ab Hadriano , ejusque jussu ab aliis fuisse;
 non tamen probaveris , in Spartiani loco fa-
 miliariter denotare serviliter , licet *familia*,
 antique *familia*, famulorum sive servorum
 turbam principe significatu suo indigitet.
 Nequeunt Spartiani verba graviorem,quam
 quem dedimus, fundere sensum ; præter-
 quamquod ab illiberalibus jocis , quorum
 meminimus, nec absuisse verba obscena at-
 que

(55) epitom. imperat. cap. XIV.

que lasciva videantur. Sed vero attentatam ipso opere, & imminutam, jubente imperatore, imperatricis fuisse pudicitiam, quam gerræ germanæ sunt, atque (tuam, Lector, fidem) lire, lire! Nulli itaque succensemus P. Bælio, (56) quod Ludovicum in primis Morery plurimo sale perfriet, qui, uno hoc Spartiani fretus testimonio, confuesse cum Sabina Suetonium, haec de causa exutum dignitate sua, prohibeat. Verum nee eundem satis mirari possumus, quod, qui alias tam acutum cernit, heic oculis videat lippus inunctis, ut, quam contumacis, protervi ac petulantis ingenii vir fuerit Suetonius, quamque grave hinc præjudicium ejus duodecim cæsaribus creetur, non advertat. Cui residua pudoris modestia que vel mica est, is, si jubeatur ab imperatore augustam ipsius conjugem ludibrio habere, vel prorsus non faciet, vel coactus, faciet tamen levissime, lenissimeque. At noster iste injussus fecit, alieno fecit tempore, & ne denuo faceret ac sapius, aula eum sua exturban- dum, removendumque ab officio, imperator censuit. Qui vivæ imperatrici, eidemque fax dominæ nihil, quantum constat, lacesitus insultavit, an defunctorum imperatorum consuluerit famæ? Irrepunt

Yy 4

mo-

(56) in Suetonius lit. F. p. 310. ed. Gottsched.

mores ingeniumque scriptoris in ejus opera, qui vix cavet, etiam dum cavet, ne se immisceant. *Enimvero naturam expellas furca, tamen usque recurrit.* Prodiuerunt hinc doctorum virorum dissertationes de ingenio & moribus hominum ex ipsorum stilo cognoscendis ac dignoscendis. Possumus, fateor, secus, atque sentimus & agimus, ut loqui, ita scribere; sed non, nisi necessitate vel utilitate impulsi, possumus: quarum vero altera nullatenus, quadantenus tantum & leviter altera Suetonium movit. Quae enim imposita homini necessitas vel a Trajano & Hadriano, sub quibus, vel a quoquam Romanorum, cum quibus vivebat, fuit, ut primos cæsares infamaret? Utilitatis non nullam habere rationem potuit, quoniam ipsius ævo, quo recens adhuc amissæ libertatis erat memoria, criminatio servitutis autorum majori legentes voluptate, quam defensio ac laudatio, afficiebat. Verum, qui ipse ad criminandum per ferox atque malignum ingenium suum proclivis non est, veritati & summorum principum famæ omnem lectorum posthabet gratiam. *Kaunθeias, morum pravitatis ex historia sua Herodotum convincere Plutarchus nititur.* Hactenus recte; quod, qui pravis moribus est historicus, non potest non criminose scribere. Concludimus

mus ergo, quod, suam potissimum fecutus naturam, Suetonius primorum cæsarum duodecima tam criminatus fit, quam nullus, qui quidem superat, alias.

ſ. X. Tacitum, abſit, ut eodem, quo Suetonium, numero locoque habeam. Fruatur ille per me invidendis, quibus dudum Lipsius, Heinsius, & alii bene multi eum cumularunt, laudibus. Hoc tantum meo jure peto, ut, quem gentilem hominem ſupra hominum fortem Balthasar Bonifacius, cum reliquis encomiastis in limine editionis operum Taciti gronovianæ apparens, evehit, eum, mihi liceat demonstrare, humani non aliquid, ſed multum eſſe paſſum. Sunt, qui lati- num Xenophontem crudelis ac detestabiliſ cujusdam Tiberii pædiæ, qua principes ad tyrannidem haud perfuntorie, ſed accurate instruantur, Tacitum nuncupant; quoſ an lavernionibus & calumniatoribus Taciti ſatis bene Bonifacius ille accenſeat, equidem ambigo. Eſt Conringius, (57) neque iſ ſolus, qui Machiavelli Prin- cipem nihil dicere, quod non ante dixe- rit Tacitus, licet minus aperte & crude, affirmat; hincque autor eſt, (58) ut ad

Y y 5 ejus

(57) Opp. Tom. II. p. 978, post med. (58) Tom.
III. Opp. p. 41C. §. 43.

ejus lectionem cerez indolis & ad populis
 salutem instituendo principi christiano
 aditus intercludatur. Quid quod nec de-
 fuerint, qui, effigiatum ad Augusti extre-
 ma, adque Tiberii & Neronis instar,
 qualia Tacitus pinxerit, machiavellicum
 totum principem, sustinuerint defendere.
 Nobis jam per prolixitatem integrum haud
 est, hos ingredi circulos. Quocirca,
 quantum fidei tuto adhiberi Tacito queat,
 quod ad nos spectat proprius, dispiciamus.
 Frustra sunt qui, eam ingenii ipsius magni-
 tudine, &, quibus occultissima perte-
 rit, provideritque futura, plus quam lyn-
 ceis oculis metiuntur. Ita enim excitatus
 Bonifacius: „Taciti, tanquam e tripode,
 „dicta accipiuntur; CUM præterita, quod
 „est historici, ita commemoret, ut fatu-
 „ra, quod est sapientis, prævideat, præ-
 „monstret, excutiat. Vere igitur ab Hein-
 „sio dictum putamus, apud Tacitum oc-
 „cultam quandam, & mysticam fuisse ha-
 „rupsicinam, qua non animantium exta
 „scrutaretur, sed regum corda mentesque
 „introspiceret; hujusque scripta meram
 „esse prudentiæ medullam; - - denique
 „Tacitum ocellum providentia, corcu-
 „lum sapientiæ merito nominandum.“
 Sed vero mihi, tantum abest, ut, quic-
 quid hujus est, historici fidem confirma-
 re ac commendare, ut eam infringere,
 red-

reddereque suspectam videatur. Neque enim, cui credam, ut divinus fuerit, & haruspex, sed ut de gestis rebus certo ipsi constiterit, easque narraverit simpliciter & bona fide, desidero. Qui ingenii pollent acumine atque solertia, confisi illis, abditissima se quævis expiscari, nec res tantum gestas, sed & earum semper causas, autorumque consilia expromere posse opinantur; hinc amant indulgere conjecturis incertis fallacibusque, &, quæ verisimilia modo sunt, pro veris certisque, & pro verisimilibus parum credibilia venditare. Quia intemperie agitatum & Tacitum fuisse, monuerunt jam alii. Suikerus: (59) „Tacitus was een groot,, staat-kundige, die in de verborgene oor-, saken van de daaden der menschen nate,, speuren zomtyds wat te ver gaat.,, Oc- cultissima primi cæsares, & præcipue ob- scurissimus Tiberius, & publica & priva- ta sua habuerunt omnia, de quo præce- denti dissertatione (60) multa me verba facere memini. Quare si factorum Ti- berii & aliorum quoque rationes subinde Tacitus tacuisset, rectius, si non inge- nio & sagacitati, at certe fidei suæ con- culturus fuisse. Sed monumenta ejus e- vol-

(59) Geschied. II. Deel, I. Tyd-bestek, cap. XXXIX.
§. I. fin. (60) §§. X.-XI.

volventi mihi plus semel jam accidit, ut
 magis de ingenio ostentando, quam re-
 rum, quas tradit, adstruenda veritate la-
 borare videretur. Aliquando & lividulus
 deprehenditur. De Vespasiano resert,
 quod non modo ambigua fama ad impe-
 rium accesserit, solusque omnium ante
 se principum in melius fuerit mutatus;
 (61) sed &, quod in Africa *famosum invi-*
susque proconsulatum egerit. (62) Po-
 steriori huic, quod mirere, obtrectator
 ille cæsarum, Suetonius apertissime con-
 tradicit, qui de eodem Vespasiano ita:
 (63) „Sortitus Africam, *integerrime*, nec
 „*sine magna dignatione* administravit: nisi
 „quod Adrumeti seditione quadam rapa,
 „in eum jacta sunt. Rediit certe nihilo
 „*opulentior*, &c., Quod avide arripi-
 ens, qui pro Suetonio semper suo arma mo-
 vet, Pet. Bælius paratragœdiat. „En, ait,
 „(64) documentum, satyrico nullo actuni
 „Suetonium esse spiritu, ut aliorum fa-
 „mam arroderet. Eas Vespasiano tribuit
 „laudes, quæ & Taciti testimonium ex
 „diametro distant. Non ita, qui mali-
 „gno & satyrico est ingenio, agit histori-
 „*cus*

(61) Histor. lib. I. cap. L. fin. (62) Histor. lib. II.
 cap. XCVII. fin. (63) Vespasian. cap. IV. p. m.
 727. (64) Vespasiano p. 450. num. B. edit.
 Gottsched.

cus.,, Vide reliqua. Me quod attinet, ciceroniani illius memor : *Ut quisque est optimus, ita alios minime esse malos suspicatur*; pronior pariter sum, laudantem Suetonium, quam maledicentem amplecti Tacitum. Facta Adrumeti seditio, quam tangit Suetonius, unicum proconsulis Vespasiani sive crimen, sive infortunium, commovisse Tacitum, quibusque usus ille est, autores videtur, ut totum ejus proconsulatum famosum appellarent atque invisum.

§. XI. Pedem ad *imperatores* promoveamus. Bello civili, quo victor tandem Cæsar imperatoriæ majestatis fundamenta jecit, longe meliori in causa idem Cæsar fuit, quam Pompejus, &, qui secutus eum fere universus est, senatus populusque romanus. Ut utrinque ab armis discederet, ut uterque, & ipse & Pompejus, dimitterent exercitus, Cæsar petiit; cumque non impetraret, sed obstinatus omnia & per vim agi videret, designatosque etiam ac creatos illos consules, qui sui essent inimicissimi, alterum post alterum Marcellum & Lentulum, *očo se legiones redditurum*, transalpinaque cesorum Gallia promisit, si modo *duas & cisalpinam provinciam*, quin denique, si vel *unam* cum Illyrico sibi retinere concederet.

cederetur, *quoad* consul fieret. (65) Aequissimas has fuisse conditiones, largitur, quicquid est historicorum augustorum, praeter unum Suetonium, qui filere mavult, quam confiteri. Sed audiamus, quam vehementer primas statim conditiones populus romanus probarit. Plutarchus: (66) „Cæsaris postulata honestam speciem, magnificamque habebant. (significantius in græco, τὸ πρόχημα τῆς δικαιολογίας λαμπρὸν ἔχεν.) Offerebat arma posse, modo idem faceret Pompejus, ac sic, ut ambo privati peterent populi beneficia: quoniam scilicet, si se spoliarent exercitu, & illi confirmarent, unum premendo, alterum facherent dominum. Has conditiones quum in concione (δήμῳ) Cæsaris nomine Curio proponeret, ingenti est plausu exceptus: coronas aliqui etiam in eum conjecturant, sicut athletam floribus spargentes., Percipiamus quoque, an patribus arriserint. Quid paulo post Plutarchus? (67) „Postulante, inquit, tribuno plebis Antonio, ut discessio fieret, an depoñerent ambo (Pompejus & Cæsar) prævincias, in eam partem omnes senatores vivere., Postrema conditio tam æqua & mo-

(65) Sueton. Jul. Cæs. cap. XXIX.
Tom. I. p. 722. D. (66) Cæsare

(67) ibid. fin.

modesta visa est, ut, secunda jani molli-
tus Pompejus, ea demum flecteretur.
Rursum Plutarchus: (68) „Mox literæ,,
allatae a Cæsare sunt, quæ moderatae,,
videbantur. Ostendebat enim, dimit-,,
tere se cætera omnia velle, tantum po-,,
stulabat, ut sibi Gallia cisalpina & Illyri-,,
cum cum duabus legionibus concede-,,
rentur, dum secundum consulatum pe-,,
teret. At Cicero orator, modo ex Cili-,,
cia reversus, de conciliatione agens,,
molliebat Pompejum. Hic vero, reli-,,
qua permittens, adimebat legiones; &,
Cicero induxit amicos Cæsaris jam re-,,
misiores, ut contenti ante dictis pro-,,
vinciis, & militibus solum *sex millibus in-*,
irent concordiam. Flexo Pompejo &,,
concedente, reclamavit consul Lentu-,,
lus, &c., Atqui ne sic quidem juste cum
socero suo egit Pompejus. Imperium ei
populus, penes quem adhuc majestas,
sive potestas jubendi vetandique summa
erat, in quinquennium prorogaverat,
quin & absenti tunc, cum alterum hoc
quinquennium expleri cœpisset, secundi
consulatus dederat petitionem; unde dis-
sensionis initio literis senatum deprecatus
est Cæsar, ne sibi beneficium populi &
suum privilegium ciperetur: porro in pro-

Roga-

(68) ibid. p. 723, init.

rogationem imperii consenserat senatus , de quo videri interpres ad Ciceronis de provinciis consularibus orationem possunt ; & ambiendi consulatus jus absenti Pompejus renovata lege de comitiis , qua omnes magistratuim candidati ad ipsa comitia præsto esse jubebantur , erat vero Cæsar nominatim ab illo exceptus , confirmarat . Nihilo secius unam solummodo legionem & peregrinam provinciæ partem ei postea relinquendam censuit , cum interea temporis omnes ipse copias suas apud se retinere , & Hispaniam provinciam in aliud sibi quinquennium decerni curasset . (69)

„Quem igitur virum (verba sunt Velleji „Paterculi) (70) quis non miretur , per „tot extraordinaria imperia in summum „fastigium vectum , iniquo tulisse animo , „C. Cæsar is in altero consulatu petendo se „natum populumque romanum rationem „habere ? Adeo familiare est hominibus , „omnia sibi ignoscere , nihil aliis remit „tere ; & invidiam rerum non ad causam , „sed ad voluntatem personasque dirigere . „Sed vero an exulceratus animus his se li mitibus continuit ? Minime gentium . O mne tandem jus perfregit , rupitque oninia hu-

(69) Sueton. Cæsar , capp. XXIV. XXVI. XXVIII. XXIX. & Dio Cass. lib. XL. p. 147. init. (70) lib. II. cap. XXX.

humanitatis & initæ cum Cæsare societas atque affinitatis vincula. Nihil enim Pompeji socer, Scipio ; nihil consules Marcelli, Lentulusque ; nihil Appius censor, Cato, & jurati reliqui Cæsar's hostes ; nihil denique totus senatus, nisi Pompejo aut jubente, aut connivente, postmodum egerunt atque decreverunt. Scite Florus : (71) „Lentulo Marcello,, que consulibus de successione Cæsar's, senatus, ID EST Pompejus agitabat.,, Et quis agitationum finis? Cæsari, decretum, ut succederetur *ante tempus*; Cæsar's ne absentis ratio comitiis consularibus haberetur, quando legem de jure magistratum ferens Pompejus eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, nec Cæsarem excepisset; (qui vero oblitus erat, ac mox correxerat errorem) Cæsar's colonis Novumcomum deductis ut adimeretur civitas; Cæsarem, nisi præfinita die exercitum dimisisset, hostem habendum, & fecisse contra rempublicam judicandum; Cæsar, si consulatum desideret, privatus in urbem ut veniret, & populi romani se committeret suffragiis; cum Cæsare nullam unquam de republica faciendam pactionem; quique pro Cæsare intercessissent tribuni plebis, de eorum T. II. P. IV. Zz sup-

(71) lib. IV. cap. II. p. 157. post med. ed. Græv.

sopplciis deliberandum. Enimvero hos Lentulus consul probris laceratos curia ejecerat; eraſa dein ex senatorum albo eorum ſunt nomina; cumque nihilominus in urbe reſiſterent; monuit idem eos Lentulus, ut, antequam ſententia perferrentur, exirent: quare territi meritoria rheſta & vefitu fervili ad Cæſarem perfuge- runt. (72)

ſ. XII. Jam ad cuncta hæc quid cæſarei scriptores? „Nihil, inquit Vellejus Paterculus, (73) relictum a Cæſare, quod fervandæ pacis cauſa tentari poſſet: nihil receptum a pompejanis.“ In eandem ſententiam Plutarchus: (74) „Unica, ait, ſucepti calamitosissimi civilis belli apud deos hominesque Cæſari exiſtebat defenſio, quod neceſſario ad illud compulſus eſſet.“ Ex adverſo Suetonius primum in eo non ſatis candide agit, quod atrocifimās injuriās, quibus ad desperationem adauctus Cæſar eſt, imperfecte exhibet, eaque silentio involvit, qua maximam conſolare adverſariis ejus invidiam apta nata ſunt. Marcellum conſilem,

re-

(72) Sueton, Cæſ. cap. XXVIII - XXX. Plutarch, Cæſ. T. I. p. 723. B. Vellej. Paterc. lib. II. cap. XLIX. Dio Cæſ. lib. XLI. p. 153. alii. (73) loc. cit. (74) Cæſ. T. I. p. 734. C.

refert, (75) retulisse ad senatum, ut Cæsar succederetur *ante tempus*; sed, quod addit Dio Casius, (76) & in primis facit ad arguendum summae iniquitatis Marcelum, omittit; scilicet inter cæteros ipsum alterum consulem, Sulpicium, quod passim improbari videret, imperium cuiquam, nullo ejus extante delicto, antequam tempus exisset, abrogari, Marcello se opposuisse; quin nec Pompejum, licet aversiorem jam a Cæsare factum, consentire voluisse, ne, quod eandem rem commemorans Appianus Alexandrinus (77) adjungit, vir illustris & optime de patria meritus ob tam exiguum temporis spatium injuriam acciperet. „Retulit et-,, iam, pergit Suetonius, Marcellus, ut,, colonis, quos rogatione vatinia Novum,, conum Cæsar deduxisset, civitas adime-,, retrur., Quam subdole iterum graviorem contumeliam Marcelli partem malignus scriptor reticet! Dicat eam nobis Plutarchus: (78) „Marcellus & Lentulus, odio,, Cæsarem prosequentes, ad probrum su-,, gillationemque ejus necessaria non ne-,, cesariis cumularunt. Colonis enim, quos,, Cæsar Novumcomum nuper in Galliam,, Z z 2 de-,,

(75) Cæs. cap. XXVIII. (76) lib. XLI. p. 148.

B. C. (77) lib. II. bell. civ. p. 731. l. 13, ed.
Toll. (78) Cæs. p. 722, init.

„deduxerat, civitatem ademerunt; &
 „consul Marcellus unum illius coloniæ de-
 „curionem, qui Romam venerat, virgis
 „cæcidit, addens, hanc se ei inurere no-
 „tam, quod civis romanus non esset; ab-
 „iret, eamque Cæsari ostenderet.,, Dicat
 pariter Appianus Alexandrinus : (79)
 „Novumcomum condidit Cæsar sub Al-
 „pibus, donavitque jure Latii, hoc est,
 „ut, qui annum magistratum ibi gesis-
 „set, haberet in Urbe jus civium. Ex
 „horum Novocomensium numero quen-
 „dam, magistratu apud suos defunctum,
 „& ob id civem romanum habitum, Mar-
 „cellus in Cæsaris contumeliam virgis cæ-
 „cidit: quæ poena civi romano quantum-
 „vis fonti, haud unquam infligitur. Sic
 „ille mentem suam iratus aperuit, atque
 „pro externo tractatum ire jussit, & no-
 „tas ostendere Cæsari.,, Tam contume-
 liose homo egit! Alia insuper, tam illi-
 cita, quam indigna Marcellus ille in Cæ-
 sarem ausus est, quorum cognoscendo-
 rum qui tenetur desiderio, Dionem Cas-
 sium (80) evolvat. Nobis enim ea appo-
 situris manum denuo injicit prolixitas.
 Falsissima Suetonii (81) criminatio est,
 quic-

(79) lib. II. bell. civ. p. 730. fin. (80) lib. XL. p.
150. D. 1. 6. & p. 151. l. 5. ac C. 1. 9. item D. 1. 4.

(81) Cæs. cap. XXX. sub init.

quicquid Cæsar de repudiatis a Pompejo & senatu mitissimis conditionibus suis, & violato cum primis intercedentium pro se tribunorum plebis jure conquestus sit, *prætextum* modo ipsi civilium fuisse armorum, & longe alias eum belli patriæ inferendi habuisse causas; quarum tres statim subjugit. Verum positæ prima & tertia in suspicionibus inimicisimorum Cæsaris furerunt; id quod nec ipse Suetonius, alteram ad autorem Pompejum, ad Ciceronem potissimum alteram referens, diffitetur. Pompejo Labienum, qui initio belli civilis ad ipsum perfugerit, omnia Cæsaris, a quo in summo semper honore habitus fuisset, arcana, & quicquid animo agitaret, enuntiasse, autor quidem est Dio Cassius; (82) sed queritur tamen, an omnia, quæ dixit, Labienus certo sciverit, & annon plura, quam sciverit, ex recenti in Cæsarem odio, elocutus sit. Speciosissima secunda ratio, sed captiosissima eadem est. *Timuisse Cæsarem*, Suetonius dicit, *dicunt alii*, ne eorum, quæ primo consulatu adversus auspicia legesque & intercessiones gesisset, rationem reddere cogeretur; cum M. Cato identidem, nec sine jurejuando, denuntiaret, delaturum se nomen ejus, simul ac primum exercitum dimisisset; cumque

Z z 3

vul-

(82) lib. XLI. p. 154. B.

vulgo fore prædicarent, ut, si privatus redisset, Milonis exemplo, circumpositis armatis, causam apud judices diceret. Verisimum hoc est, ut nemo non, qui innutritus lectioni historiæ augustæ est, compertum habet; tamque clare animo prævidit ac præsensit Cæsar, pereundum sibi esse, si despoliatus exercitus sui præsidio, & in privati redactus ordinem, judicii laqueis innecteretur, quam ea cernimus, quæ præsentia oculis intuemur. Quare, hos ut effugeret, nullum non diu ante moverat lapidem: obtinuerat mox post abitum suum in provinciam, ne, cum reipublicæ causa abesset, reus fieret; deinde ad securitatem posteri temporis in magno semper negotio habuerat, obligare annos omnes magistratus, & e competitoribus non alias adjuvare, aut ad honorem pati pervenire, quam qui sibi recepissent, propugnaturos absentiam suam; imperatrat porro, ut in quinquennium sibi imperium propagaretur; adeptus denique fuerat, ut secundum absens peteret consulatum, quem per auram, qua sovebatur atque extollebatur, popularem, certus erat, se non petiturum frustra. Quam & universa hæc, quorum nihil præterit Suetonius, (83) vera certaque sunt, tam fal-
so

(83) Cæs. capp. XXIII. XXIV. & XXVI.

Si idem affirmat, proximam civilis belli causam fuisse ingentem, quo trepidarit Cæsar, judicii metum. Profecto non metus ea Cæsar, sed insidiantium Cæsari, sanguinemque ejus sitientium inimicorum fuit perfidia. Hinc flagitare Cæsar decreta, ac, nisi in fide permanerent, non se remittere exercitum, ingeminare. Enimvero, quem absenti consulatum paulo ante decem tribuni plebis, favente Pompejo, decreverant, is jam, eodem dissimulante, negabatur; (84) & beneficii, quod, ut salvus esset, multo Cæsar tempore, magnis sumptibus, majori rerum gestarum auctique imperii gloria, maximo vitæ in assiduis gravissimis bellis discrimine ita sibi compararat, ut populus juberet, autores essent Patres, ejus nihil quidem ipsi relinquebatur. Qui horum omnium vel unum in dubium vocas, an oscitans te semper & dormitans per autorum hoc facientium circumtulisti monumenta, vel an peregrinati inter legendum tui sunt oculi? Saltum Tranquillus, & per eum commisit lapsum. Deuerat hominem ad hunc scribere modum: Timens rebus vitaque suæ a judicio Cæsar iis se beneficiis munierat, quibus fore settutum, confidere potuit: illa vero eripiens ei

Z z 4 pœ-

(84) Florus lib. IV. cap. II. p. 157.

preter omne jus dat amque fidem pompejana fa-
cio bellum civile concitavit. Pergit tamen:
 „Quod probabilius facit Asinius Pollio,
 „pharsalica acie cæsos profligatosque ad-
 „versarios prospicientem, hæc Cæsarem
 „ad verbum dixisse referens: *Hoc volue-*
 „*runt: tantis rebus gestis C. Cæsar condemnat-*
 „*tus essem, nisi ab exercitu auxilium petiis-*
 „*sem.* „Obtrectatorem, miror, Asinii
 Pollionis deferre autoritati, qui, quam
 iniquus rerum verborumque Cæsaris Pol-
 lio iste fuerit arbiter, ipse postea, (85) &
 eius putidissimum, & honorificentissi-
 mum Ciceronis Hirtiique de Cæsaris Com-
 mentariis afferendo judicium, ostendit.
 At quoniam tamen his gemina Cæsaris
 verba in ipsius Cæsaris libro primo de
 bello civili leguntur, insuperque Plutar-
 chus eorum facit mentionem, ut Casau-
 bonus jam observavit, (86) damus, vera
 retulisse Asinium. Tantum autem abest,
 ut vocibus illis Cæsar armorum civilium
 culpam in se, ut omnem conjiciat in ad-
 versarios suos. Neque enim dicit: *Hoc*
volui; sed: *Hoc voluerunt,* scilicet cæsi pro-
 fligatique hostes mei: de quo ut minus du-
 bitetur, Plutarchus τῷ τρόπῳ εἰπεῖν,
 interpretationis loco adjungit: Εἰς τρόπῳ με-
 ἀνάγει

(85) Cæs. cap. LVI. (86) ad Sueton. Cæsarem p.
19. num. 20.

ανάγκης υπήρχεν. Ad hanc me necessitatem compulerunt. Nec omittendum in Cæsar's sermone est τὸ condemnatus esse. Præscivit enim, non absolutum se, sed condemnatumiri. Quare ne quidem dicit; *judicio conficiatus esse.* Nam in judicium dicis tantum gratia adducturi eum fuerant adversarii, ut, quem dudum ante exilio aut morte nullatum censuerant, causa dicta latisque sententiis jure damnatus videretur. Quæ igitur Cæsar's ita comparatae voces sunt, ut invidia civilium armorum levent Cæsarem, iis, quod indignissimum, a Suetonio premitur. Alios si in consilium adhibemus autores, magno illi consensu testantur, propensissimum adhuc Cæsarem bello jam incepto, rebusque ipsi ex voto fluentibus, ad reconciliationem & pacem fuisse. Videatur in primis Cicero ad Atticum, & ad Ciceronem Balbus; (87) nec prætereatur Plutarchus, (88) sed cum Cicerone ad Atticum (89) conferendus. Cui pacis enixo studio quam egregie, quæfio, cum belli non uno, quem Suetonius propinat, convenit prætextu! Si Cæsar's, antequam ad arma perventum est, postulata, & vel sola ultima, quæ æquissima fuerunt ac le-

Z z 5 nis-

(87) lib. VIII. epist. XV. lib. IX. epist. VII. &c.

(88) Cæs. p. 725. lin. 8. (89) lib. VII. epist. XV.

nissima, Pompejani admisissent, nec pācto deinceps ille stetisset, audirem criminatorem; & multos Mæandros, flexiones ac diverticula multa, ut Martem suum ab injustitia defenderet, quārenda Cæsari fuisse, ultro concederem. Sed vero non futilem ei fallacemque prætextum, verum speciosam ac plausibilem, immo honestam & justam ferro decernendi causam frangentes fidem inimici, sibique & aliis illo Catonis, moriendum potius, quam ullam conditionem civis accipiendam reipublicæ, (90) imponentes dederunt. Vidimus hactenus, bellum civile Cæsarem longe justius, quam ejus adversarios, suscepisse. Gestum quoque ab illo & confectum multo majori justitia, fide, humanitate ac clementia esse, nihil necesse est adjungere, cum omnes uno ore confiteantur, & ipse Suetonius amplissimum lenitati ejus atque ignoscendi facilitati perhibeat testimonium. Singulare est, quod in Ægypto, capite ipsi oblato imperfecti Pompeji, egiſe summum virum Plutarchus, (91) Appianus, (92) Aurelius Victor, (93) & Paulus Diaconus (94) commemo-
rant.

(90) Vellej. Paterc. lib. II. cap. XLIX. (91) Vitæ Pompeji fine p. 662. init. & Cæsar. p. 730. D.
(92) lib. II. bell. civ. p. 792. l. 8. & l. 10. f. (93) de viris illustr. in Julio Cæs. p. 732. init. in Scriptor. Latin. Minor. Gruteri. (94) lib. VI. hist. miscell. p. 839. init. ejusdem Gruteri edit.

rant. Scilicet offerentem sibi Pompeji caput, Theodotum, tanquam detestabilem, averfatus est; idem caput, odoribus perfusum, honorifice jusit sepeliri in Alexandriæ suburbio, facellumque ibi Nemesis, deæ ultionis, dedicavit; quin de Pothino Achillaque ob perpetratum in Pompejum scelus ipso opere summis supplicium; & annulum denique Pompeji, qui cum capite simul oblatus erat, large acerbeque plorans, acceptum sibi retinuit. Ipse Cæsar, (95) & quoque Suettius (96) nihil horum meminerunt, alter, credo, per modestiam, ex obtrectatione & invidia alter. Sed quid Dio Cassius? „Cæsar, ait, (97) Pompeji capite viso, il-„ lacrymavit, lamentatusque est, eum ci-„ vem generumque suum nominans, &„ commemorans, quot quantisque in re-„ bus mutuas quondam sibi operas præsti-„ tissent. Percussoribus, tantum absuit, „ ut se gratiam debere fateretur, ut & fa-„ cinus culparet, & caput honeste allis fu-„ nerandum daret atque humandum. Cu-„ jus facti causa ut laudatus est, ita simula-„ tione sua risum meruit. Quuni enim,„ summopere dominationem affectasset, „ Pompejumque adversarium suum pro-„ pter-„

(95) lib. III. de bell. civil. cap. CVI. (96) Cæsar
cap. XXXV. (97) lib. XLII. p. 189. B.C.

„pterea semper odio habuisset, contraque
 „eum cum alia omnia machinatus, tum
 „hoc ipsum bellum nulla alia de causa fu-
 „isset molitus, quam ut, eo de medio sub-
 „lato, ipse principatum obtineret; quum-
 „que aliam nullam ob rem in Ægyptum
 „properasset, quam ut eum, si adhuc su-
 „perstes esset, conficeret; tum se eum
 „desiderare, ejusque interitum ægre fer-
 „re videri volebat.,, Nihil pene, fateor,
 in tota Dionis est historia, quod legen-
 tem me æque offenderit. Quid enim,
 Casfi? An belligerantes nequeunt tam tri-
 stem indignamque subire sortem, ut eo-
 rum misericordia ipsi hostes commoveantur?
 Ita tu Virgilium adunco suspendis
 naso, apud quem Æneas: *Quis talia, quæ-*
rit, (98) fando Myrmidonum, Dolopumve,
aut duri miles Ulysfi, temperet a lacrymis?
 Loquitur de excidio Trojæ, quæque in
 eo miserrima ipse viderat, & quorum pars
 magna fuerat. Annon vero Trojanorum
 hostes Myrmidores, Dolopes & duri mi-
 lies Ulysfi? Apud eundem Diomedes:
Quicunque, dicit, (99) iliacos ferro vio-
lavimus agros, infanau per orbem supplicia,
& scelerum poenas expendimus omnes, vel
Priamo miseranda manus. Sed ades hic,
 Dio

(98) Æneid. lib. II. vv. 6-8. (99) lib. XI. Æneid.
vv. 255-259.

Dio, & Cn. Pompejum, qui ex rebus gestis *Magni* invenit cognomen, ipse intuere. Hæc finis fatorum ejus fuit; hic miser exitus illum forte tulit, tot quondam terra marique partis victoriis triumphatorum, tot summis Romæ perfunctum honoribus, tot extraordinariis imperiis non modo omnes ætatis suæ, sed & superioris memoriae principes viros supergressum, tot denique populis terrisque superbum regnatorem Asiarum. Jacet ingens littore truncus, avulsumque humeris caput, & sine nomine corpus. An universa hæc nullas cogitanti videntique Cæsari exprimerent lacrymas? Quid sictos singulis tu ploratus? Sunt lacrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt. Quod vero majus est, meus (tuo dicit ore Cæsar) amicus sociusque, meus gener, & honorum memorum autor suffragatorque, uti vicissim ipsius ego, fuit olim Pompejus. Ergo qui tot caritates commemorantem simulatos fudisse fletus affiras, ex homine hominem tollis, voxque tua non sonat hominem. At spectanda præsentia sunt. Hostis tunc Cæsar erat Pompeji, cuius persequendi & occidendi causa properaverat in Ægyptum. Quasi vero Darii hostis non fuerit Alexander Macedo, quem in primis sibi imitandum proposuisse Cæsareum, inter autores constat. An
igit.

igitur hostis sui indignissimæ neci non il-
lacrymavit pellæus heros? (100) Si &
hunc flesse ex animo negaveris, confun-
dent ejus te facta, qui & occisum eximio
prosecutus honore est, & cædis autores
consciosque meritis suppliciis partim ipse
affecit, partim afficiendos per alios cura-
vit. (101) Potissimum, quo niteris, argu-
mentum insigniter injurium in mitissimum
Cæsaris est ingenium. Qui, inquis, sin-
cere luxerit occisum, quem ut occideret
ipse, properaverat in Ægyptum? Verum
non occidendi, sed capiendi tantum cau-
sa persecutus fugientem erat, ne elapsus
ille bellum repararet, sicque primis peri-
culosiora evaderent postrema. Te quo-
dammodo ipse refutas, Coccejane, qui
in oratione Cæsaris funebri loquentem ita
facis Antonium: (102) „Pompejum i-
„psum, si quidem voluisse Cæsar, vivum
„capere facile potuisset; quod ex eo con-
„stat, quia illum non statim infuscatus est,
„sed aufugiendi liberum concescit tempus,
„mortemque ejus non sine dolore cogno-
„vit, tantumque absuit, ut laudaret ipsi-
„us,

(100) Plutarch. Alexand. T. I. p. 690. B. I. 6. & Ju-
stin. lib. XI. cap. XV. fin. (101) Arrianus de ex-
ped. Alexand. lib. III. cap. XXII. & XXV. & lib. IV.
cap. VII. Plutarch. orat. prior. de Alexandri fortuna
vel virtute Tom II. p. 332. F. Curtius lib. VII. cap.
V. num. 38. &c. (102) lib. XLIV. p. 264. B.

us interfectores, ut eorum paulo post,,
cæde necem hanc compensaret. Ipsum,,
quoque Ptolomæum, quod ad benefa-,,
ctoris sui interitum connivere sustinuis-,,
set, quamvis puerum adhuc, interemit.,,
Victus itaque victurus Pompejus per Cæ-
sarem fuisse videtur, si modo victori se
suo, quod æquisimum erat, subjecere,
& perficere ex eo in secundis voluisset.
Hac enim conditione donata post victori-
am vita plurimis est Pompejanis, inque
iis, qui atrociores ipso Pompejo Cæsaris
fuerant hostes. Scripsit Cæsar ex Ægypto
ad amicos Romam, eum se ex victoria
sua capere maximum & jucundissimum
fructum, quod quotidie aliquos cives,
qui se oppugnaverant, servaret; (103) ut-
que servaret partis adversæ unum, quem
vellet, nemini non suorum concesfit;
(104) quo pacto servata multa esse millia,
quis ambigit? Porro filiam Pompeji, Utinæ
deprehensam cum duobus liberis, ad
fratrem mulieris misit incolumem; (105)
alterius filiorum Pompeji missum ad se
caput sepeliri statim jusit; (106) ipsius
Pompeji dejectas reposuit statuas, dicente
Cicerone: Cæsar, dum Pompeji statuas
eri-

(103) Plutarch. Cæs. p. 730. E. (104) Sueton. Cæs. cap. LXXV. (105) App. Alex. lib. II. bell. ci-
vil. p. 801, s. fin. (106) id, ib, p. 805, s. med.

erigit, stabilit suas; (107) lacrymatus &
que, ac Pompejus, est proxime ante pu-
gnam pharsalicam; (108) & denique tem-
pore extremo, quibus nondum ignove-
rat, cunctis in Italiam redire permisit,
magistratusque & imperia capere. (109)
Tam miti virum ingenio, tamque in Pom-
pejum benevole affectum, quis Pompeji
non crediderit parsurum vitæ fuisse, si per
ipsum stetisset? Sed quid, si dederō tibi,
Dio, in animo Cæsarem habuissé, inter-
ficere Pompejum? Ne sic quidem proba-
veris, simulatas ejus fuisse lacrymas. Re-
fers postmodum ipse sequentia: (110)
 „Imperante Vespasiano, Sabinus ille Gal-
 „lus, qui se Cæsarem olim nominave-
 „rat, atque, quum ad arma venisset, es-
 „setque victus, in monumentum abdide-
 „rat, agnitus tandem & Romam adductus
 „est, cumque eo occisa est Peponila u-
 „xor, quæ eum incolumem servaverat:
 „quamvis ea Vespasiano filios suos propo-
 „suerit, dixeritque ad captandam miseri-
 „cordiam: Ego, Cæsar, hos in monu-
 „mento subterraneo peperi, aluique, ut
 „plures tibi supplices essemus. Qua ora-
 „tio-

(107) Plutarch. Cæs. p. 734. E. (108) App. Alex.
lib. II. bell. civil. p. 781. med. (109) Sueton.
Cæs. cap. LXXV. (110) lib. LXVI. p. 752. s. med.
collat. Plutarchi Amatorio T. II. p. 770. D. &c.

tione et si *Vespasiano*, cæterisque, qui ade-,,
rant, excivit lacrymas, nullus tamen mi-,,
sericordiæ fuit locus.,, Jam quæro ex,,
te, Cassi, an & has lacrymas fuisse falsas
fallacesque arbitreris? Lenissimus, si quis
alius, & ad misericordiam propensissimus
princeps *Vespasianus* fuit, ut non tute
modo, (111) sed & *Suetonius* (112) ac
Aurelius Victor (113) prodiderunt. Qua-
re, quin misericordiæ affectus, & nulla
vafricies ejus elicuerit lacrymas, dubitari
nequit. Nihilo secius his ille suffusus lu-
mina hanc simul effero ore, velut inter
imbris fulmen, ejaculatus vocem est :
Moriendum vobis, miseris, est! Nimi-
rum miseratio quidem in veras eum sol-
vit lacrymas, at, ut obduresceret ad sen-
tentiam mortis pronuntiandam, in causa
fuit imperium, vel, ut nunc dicere amant,
ratio status. Ad eundem igitur modum &
imperandi aviditas occidendi Pompeji, &
humanitas ad occisi conspectum caput e-
rumpendi in fletus haud fucatos necessi-
tatem imponere Cajo Cæsari potuit. Quod-
que Dionem fugit, cui & luctuosior &
lucrosior Saulis accidit interitus, quam
Davidi? Certus hic ex unctione erat di-
T. II. P. IV. Aaa vi-

(111) lib. LXVI. p. 749. l. 8. & pp. 750. & 751.

(112) *Vespasiano* capp. XII - XV. (113) epitom.
Cæs. cap. IX.

vina; illius se in regno fore successorem.
 An vero idcirco gemitus illos & lamenta,
 quæ ad denuntiatam soceri quidem sui,
 sed internecini etiam hostis, miserandam
 cædem vir secundum cor Dei edidit, fas
 fuerit simulationis incusare? Mobilis ad-
 modum, cereusque fingi in blandiores
 affectus Cæsar is fuit animus: quæ vera
 causa est, quod tam facile succubuerit a-
 mori, visa que eximia aliqua pulchritudi-
 ne statim ignes conceperit. Quare nihil
 mirum est, si miserescere pronus pallida
 tabo que fluentia generi sui ora adspicere
 nequierit, quin in veras actutum iret la-
 crymas.

§. XIII. Cæsar is, quos modo tange-
 bam, amores, ne ab indigna Pompeji ad
 ipsius longe indigniorem cædem, quod
 constitueram, e vestigio me conferam,
 prohibent. Fortissimum virum ita mul-
 erosum fuisse, ut, quem primum locum
 inter belli duces, eundem inter amatores
 teneat, victumque tam sâpe ac turpiter
 cupidineis telis omnium suorum hostium
 victorem, miraculo res proxima est, in-
 primis quod durissimis frequenter labori-
 bus subegerit corpus suum, atque vini e-
 um parcissimum, & tenuissimo passim
 cibo contentum ne inimici quidem nega-

verint, (114) sine Cerere autem & Libe-
ro frigere Venerem constet. Insitus igi-
tur ipsi, oportet, innatusque venereus
fuerit affectus; nec tam doctus ad eum
& institutus, quam factus & imbutus;
quod & ipse vestitu elegantiori ac molli-
ori, delicioribus gestibus, multisque
id genus aliis affatim prodidit. Dio Cas-
sius: (115) „Formæ Cæsar, licet floren-
tes jam egressus annos, adhuc studebat: „
quippe semper laxiori veste delicate ute-
batur & cinctura fluxiore; aliquando et-
iam deinceps veste sublimiori ac rubea,
inclusus incedebat more regum, qui Al-
ba quondam imperaverant, quum a Ju-
lio id ad ipsos pervenisset. Omnino autem,
totus in Venere erat colenda, a qua se,,
etiam formæ quandam venustatem ha-,,
bere, persuadere omnibus nitebatur. I-,,
gitur Venerem armatam annulo inscul-,,
ptam gestabat, eaque tessera in rebus,,
summis plerumque utebatur. Certe la-,,
xam ejus cincturam Sylla quoque nota-,,
vit, qui, quum nece Cæsarem destinas-
set, deprecantibus pro eo respondit; se,,
quidem eum ipsis concedere, verum,,
ipsi ab isto male præcincto sibi caverent.”
Quod quum Cicero non intellexisset,

Aaa2 post

(114) Sueton. Cæs. capp. XXXV. & LVII. Plu-
tarach. Cæs. p. 715. E. & p. 716. B. (115) lib.
XLIII. p. 234. E.

„post, accepta clade: Nunquam, inquit,
 „putavi, fore, ut ab hoc, ita male cir-
 „cto, Pompejus vinceretur.” Nam &
 dudum ante Cicero solitus fuerat dicere;
*nihil suspicandum de Cæsare esse, qui uno sibi
 digito caput scalperet.* (116) Sed vero Suetonius, qui gemina adductis modo Dio-
 nis expromit, (117) Cæsaris deinceps a-
 mores fœdisime exagitat, exaggeratque
 præter omne non modo verum, sed & ve-
 risimile, nixus, non idoneorum autorum
 testimoniis, sed dicacissimorum Cæsari-
 que inimicisimorum oratorum, Marc.
 Brutti, Curionis patris, & Ciceronis cavilla-
 tionibus atque sarcasmis, & denique ver-
 sibus famosis ac triumphantium militum,
 quibus tum petulantissimis hominibus
 quidvis impune in suum imperatorem ef-
 future licebat, illiberalibus atque impuris
 jocis. Condonantur ea comicis & satyri-
 cis scriptoribus, sed sollicitius conquiren-
 tem istiusmodi fordes quis tulerit histori-
 cum? Nihilo secius tantum iis spatii cri-
 minator impudentissimus dandum censuit,
 ut quatuor in editionibus ejus absolvant
 capita. (118) Ne longior sim, in fine
 hæc habet: „Curio pater, quadam Cæsa-
 reni

(116) Grægeus ad Juvenal. Sat. IX. v. 133. in not.
 Britannici p. 592. (117) Cæs. cap. XLV. (118)
 XLIX-LI, in Cæsare.

præm oratione, omnium mulierum virum,
& omnium virorum mulierem appellat., Notes, quæsto, geminatum illud omnium.
An unus Cæsar vir omnes adulterare mulieres, & vicissim a viris omnibus pati muliebria potuit? Sed pudicitia Cæsaris qui mendacissimus immortalem inusit infamiam, illum suis ego verbis infamabo, & apertissime sibi contradixisse, planum faciam. Principio calumniarum suarum scribit: (119) „Pudicitia Cæsaris famam nihil quidem præter Nicomedis contubernium læsit., Ergo heic, conviciorum suorum capite, unus fatetur Nicomedis mulierem fuisse Cæarem, sed calce (120) adoptans Curionis non dictum, sed maledictum, omnium eum virorum appellat mulierem. Aut igitur unus & omnes non amplius toto cœlo differunt, aut perficietissimæ frontis positique cuncti pudoris calumniator est Suetonius. Quid enim? An Curionis eum negas adoptasse contumeliosissimam vocem? Cur ergo proxime ante dixit: *Ac ne cui dubium omnino sit, impudicitiae eum, & adulteriorum flagrante infamia; tumque probationis loco subjunxit: Curio pater &c.* Quod singulari numero impudicitiae vocabulum posuit, ex puriore usu latinæ est linguae, & neuti-

A a a quam

(119) cap. XLIX. initio. (120) cap. LII. fine.

quam evincit, unam modo ex Nicomedis contubernio contractam impudicitiam designare eum voluisse. Nec sum nescius ego, Boxhornium annotasse, duplex Curionis omnium esse multorum, ad quem modum Terentius dicat *multorum hominum homo*, & Plautus *multarum mulierum Juppiter*. Verum ne sic quidem calumnia & contradictione liberatur Suetonius. Calumnia tenetur criminis, quicunque summorum virorum recensens vitia historicus τὸς τῶν δημαρχῶν αὐξήσιες λόγοις, oratorum exaggerationes in probantia convertit argumenta. Fieri enim nequit, ut illo sermonis augmento non ipsa super verum meritumque augeantur vitia. Ita nemo quidem tam obtusi est pectoris, qui, appellatum legens Cæsarem *omnium mulierum virum*, & *omnium virorum mulierem*, cum omnibus omnino ætatis suæ viris juxta atque mulieribus eum concubuisse, credat; sed illam tamen animo imbibit opinionem, omnes Cæsarem Romanos & impudicitia & adulteriis longo post se intervallo reliquisse; quod autem falsum esse, ex iis, quæ sub finem hujus dissertationis dicturus sum, liquebit. Manifestius vero est, eum sibi contradicere, qui modo *natus* Nicomedis, & *præter eum neminis*, modo *multorum virorum mulierem* fuisse Cæsarem, affirmat. Sed regrediamur ad illud

illud caput, (121) quo impuros Cæsa-
ris amores Suetonius orditum. Secundam
incipit periodum ab *omitto*, a *prætereo* ter-
tiam, & quartam a *missa etiam facio*. Et il-
lis ipsis tamen periodis ea commemorat,
quæ, taciturnum se, his vocibus promit-
tit. Oratorum iste mos est, qui, ut se
venditent, inque invidiam adversarios ad-
ducant, multa se præterire simulant, quæ
tamen proferunt omnia. Cicero : (122)
„Quod ego prætermitto, & facile patior,,
fileri,--. Prætermitto ruinas fortunarum,,
tuarum, --.” Atque iterum : (123)
„Non referam id, quod abhorret a meis,,
moribus, & tamen faciam --. Sed pro-
bus historicus, qui inimicum habet ne-
minem, amicam vero maxime & verita-
tem & æquitatem, abstinentum captio-
sis ejusmodi phrasibus censet. Majoris
impudentiæ est, quod Suetonius affir-
mat, ipsum aliquando Cæsarem non ne-
gasse, violatam suam a Nicomedè pudici-
tiam esse. Ita enim : (124) „Frequenti,,
curia jactavit Cæsar, invitîs, & gementi-,,
bus adversariis adeptum se, quæ concu-,,
pisset; proinde ex eo insultaturum omni-,,
um capitibus: ac negante quodam per,,

Aaa 4 „con-

(121) XLIX.inCæs. (122) Catilinar.prima cap.VI.p.
161. ed. Cellar. (123) ibid. cap. VIII. p. 167.init.

(124) Cæs. cap. XXII. fin.

„contumeliam, facile hoc ulli fæminæ fore,
 „respondit, quasi alludens; in Assyria quo-
 „que regnasse Semiramin, magnamque Asie
 „partem Amazonas tenuisse quondam.” Si
 pudicitia Cæsaris famam nihil præter Ni-
 comedis contubernium læsit, gravi tamen
 & perenni opprobrio, & ad omnium con-
 vitia exposito, ut idem scribit Suetonius,
 (125) necesse est, & conviciatorem Cæ-
 saris, & Cæfarem ipsum ad contubernium
 illud digitum intendisse. Jam quid Dio
 Cassius (126) habet? „Jactatis in trium-
 phantem Cæfarem contumeliosissimis
 militum suorum vocibus, tantum ille ab
 indignatione absuit, ut gavisus etiam sit,
 ea suos dicendi libertate uti, quod,
 ipsum nunquam succensurum, certo
 crederent. At vero, consuetudinem cum
 Nicomedे vitio sibi verti, ægrius tulit,
 palamque, se molestia hinc affici, o-
 stendit; quin excusare ausus est, atque
 juramento adhibito se purgare.” Quæ
 qui cum animo suo reputat, simulque,
 quam sapiens, ambitiosus & famæ suæ mi-
 nime prodigus vir fuerit Cæsar, an addu-
 ci potest, Suetonii illa ut credat? Omnem
 denique & fidem excedit & verecundiam,
 quod Curionis patris illi: *Omnium mulie-*
rum

(125) ibid. cap. XLIX. init. (126) lib. XLIII.
p. 224, B.

rum vir, & omnium virorum mulier fuit Cæsar,
proxime Suetonius præmittit. „Helvius, „
ait, (127) Cinna, tribunus plebis plerisque,,
confessus est, habuisse se scriptam para-,,
tamque legem, quam Cæsar ferre jussis-,,
set, cum ipse abesset, uti uxores libero-,,
rum quærendorum causa, quas & quot,,
vellet, ducere liceret.,, Nam denuo audi
Dionem: (128) „Cæsarem (inquit) quum,,
gaudere delatis ipsi a senatu honoribus,,
sentirent, identidem alios atque alios ul-,,
tra modum accumularunt, alii studio,,
adulandi eum nimio, alii ut eum irride-,,
rent. Enimvero inventi sunt, qui pote-,,
statem ipsi, cum quibuscumque vellet fæni-,,
nis, rem habendi permittere auderent.,,
Nam pluribus etiam tum, quinquagena-,,
rio major, utebatur. Major tamen pars,,
hoc & cætera eo agebat, ut ipsi in majo-,,
rem invidiam odiumque adducto perni-,,
ciem maturarent; idque consilium pro,,
bavit eventus.,, Quam igitur legem alios,
eosque majorem partem non alio consi-
lio, quam ut ludibrio Cæsarem haberent,
& vita ejus struerent insidias, ferre ausos
esse, Dio prodit, ea, ipsum sua sponte
Cæsarem, ut ferretur, jussisse refert Sue-
tonius. Utri adhibendam censes fidem?

Aaa 5

Huicne

(127) Cæs. cap. LIII. sub. fin. (128) lib. XLIV.
p. 243. D.

Hicne, qui famam Cæsaris, nulla non cupidissime arrepta occasione, lacerat, an illi, qui, quod ingenui & extra partes constituti historici est, & vitia ejus & virtutes enumerat? Sed ne urgebo quidem hoc argumentum. Num vero tam amens excorsque fuerit Cæsar, ut, quod sine lege & impune, quia summus rerum romanarum dominus erat, & clam, adeoque minori infamia, poterat facere faciebatque, de eo sibi permittendo legem publice ferri juberet? Nonne legis promulgatio promulgatura ipsius turpitudinem erat? Loqui autem de eadem re Dionem & Suetonium, cum per se patet, tum ad posterioremonuit Casaubonus, (129) supplendum ex hoc priorem censens, legendumque: Ἀμέλεις καὶ γυναιξὶν, ὅποιας καὶ ὅσαις ἀνθρώπησι, συνεῖναι ὅτι ἐτόλμησαν τινὲς ἐπιτρέψαντες. „Enimvero nonnulli etiam ausi sunt ei potestatem, cum quibus quotque vellet fœminis, rem habendi facere.“ Nolle me ego, usum Dionem voce συνεῖναι esse, quæ adjunctis ὅποιας & ὅσαις, potestatem non modo cum innuptis puellis, sed & nuptis quibuscumque & quotcumque rem habendi innuere videtur; quantam, cum omnia honesti ac pudoris perfringat repugna, dandam Cæsari istos five adulatores, five insidiatores censuisse, a vero abudit.

(129) p. 32, col. a. num. 12. ed. Paris. Fol.

ludit. Modestior in hoc quidem Suetonius est, legis ferenda ita efferens verba: *Uti uxores, liberorum querendorum causa, quas & quot vellet, ducere liceret.* Quod contra Hubertum Goltzium observo, scribentem: (130) „Quæ Cæsar is in Venerem propensio quum neminem latet, ut qui, vel quinquagenarius, etiam plurium consuetudine uteretur, ferunt, „inter cetera ei permisum, ut, cum qui, buscunque vellet fœminis, rem haberet.,, Cautius & æquius fuerat scripturus vir doctus: *Ut, quascunque vellet, virgines vi duasque, duceret uxores.* Sed quæ, malum! illa imprudentia dicam, an impudentia? est, quod affirmet idem, *permisum illud Cæsari fuisse?* An ita, non uti, sed abuti veterum decet monumentis? Dio habet ἐτόλυησαν, ausi sunt. Num, qui ausi, potiti etiam auso sunt? Quis, silente Dione, significavit hoc Goltzio? Pariter Suetonius, *scriptam quidem paratamque legem, & ferri jussam, minime vero latam ipso opere perhibet.* Quanto igitur circumspectior Joh. Jac. Hofmannus, qui: (131) „Helvius, ait, C. Cæsar is jus, su, paratam habuit legem, quam absen-, „te

(130) vita & rebus gestis Cæsar. p. 163. C. edit Brugis Flandr. Folio 1563. (131) lex. universal. in Helvius Cinna.

te isto ferret, ut uxores, quas & quot,, quisque vellet, ducendi haberet potesta-,, tem, sed ne promulgata quidem, nedium,, perlata est., Plurima suppetunt alia, in Suetonium pro Cæsare dicenda, sed mole jam sua laborare incipiens dissertatio, ut ad primi hujus imperatoris properem extrema, monet.

§. XIV. Existimari Cæsarem jure cœsum, auctor est Suetonius. (132) Nos ex adverso & summa eum *injuria* occisum, & ne existimari quidem jure interfectum esse, probabimus. Cædis ejus autores præcipui, ut vulgo notum est, fuerunt Brutus & Casius. Brutum Cæsar ardenter simo semper amore prosecutus fuerat, & plurimis maximisque affecerat beneficiis. Ante pharsalicam aciem ducibus suis præceperat, ut inter Pompejanos Bruto maxime parcerent; sique ultro se dederet, vivum atque incolumem ad ipsum perducerent, sin repugnaret instantibus, mitterent eum, neque vim afferrent. Post illud vero proelium ubi nocturna elapsus fuga Brutus ad Cæsarem scripsit, latus ille, adolescentem evasisse salvum, venire eum ad se iusfit, gerentique morem non solum ignoravit, sed & confessim præcipuo in-

(132) Cæs. cap. LXXVI. init.

inter amicos numero locoque habuit, ut
vel ex eo intelligere est, quod, cum ne-
mo dicere haberet, quo fugiens tenderet
Pompejus, aliquantulum itineris cum u-
no Bruto faciens Cæsar sententiam ejus
periclitatus sit, divinantisque in Ægyptum
amplecti conjecturam non dubitaverit.
Ex eo itaque tempore summa apud Cæsa-
rem florens autoritate atque gratia, affini
suo Casio, regi Afrorum, &, quotquot
voluit, adverſa partis amicis veniam, sa-
lutem, immo eximios impetravit hono-
res, ipſe cumprimis ad eminentissimos
ordine magistratus tanto Cæsaris evectus
studio, ut, cum coram ipſo primum de
illa prætura, quæ maximæ multas inter
dignationis, & appellata urbana fuit, ac
postmodo de consulatu cum Casio & æ-
tate ſe & rebus in parthico bello geſtis an-
tecedente, contenderet, audito Cæſar u-
troque & adhibitis in consilium amicis,
justiorem quidem diceret Casii esse cau-
ſam, non posse tamen non ſe Brutum præ-
ferre; tantisque a ſe cumulato beneficiis
tantum haberet fidei, ut deferentibus e-
um, cum iam crudeſceret conjuratio, re-
ſponderet, manu corpus tangens: Quid
vobis? Anne Brutus videtur hoc corpus-
culum expeſtaturus? Quo ſignificavit,
neminem post ſe dignum æque ſummo
imperio, ac Brutum, eſſe, ſe tamen cre-
de-

dere non posse, ut ejus causa tam ingratis futurus esset, atque improbus. (133) Merito igitur exclamat Vellejus: (134) „Proh dii immortales, quod hujus voluntatis erga Brutum sux postea vir tam mitis pretium tulit!„ At sapientissimus tamen vir Cæsar fuit. (135) Quid ergo causæ, quod amore Brutum tam inconsulto, quam immenso complectetur? Eam nobis dicat Plutarchus: (136) „Adolescens adhuc Cæsar, ut perhibetur, cum Servilia, Catonis minoris sorore, quæ amore ejus deperibat, consuetudinem habuit. Quia vero, qua tempestate flagrantissimus eorum erat amor, genitus Brutus fuit, credebat, eum ex senatus natum... Quare in illa voce, quam vitæ sux ultimam Cæsar, irruentem quoque in se stricto pugione cernens Brutum, emisisse perhibetur: καὶ σὺ εἶ ἐκείνων, καὶ σὺ, τέκνον; Et tu ex illis es, οὐ τυ, fili? τῷ τέκνον non xopίζεται Brutum, sed vere accepto & proprie, quam abominabile atque immane facinus ante cæteros omnes ipse unus adgrediatur, hominem convincit.

Sa-

(133) Plutarch. Cæsar. p. 737. A. B. & Bruto p. 985. F. & pp. 986. 987. Vell. Pat. lib. II. cap. LVI. Dio Cass. lib. XLI. fin. & lib. XLIV. p. 246. B. I. 8. 9.
 (134) lib. II. cap. LII. num. 4. (135) Dio Cass. lib. XXXVII. p. 55. B. I. 4. alii. (136) Bruto. p. 986. init.

Sabellicus: (137) „Non tam ad familiari-,
tatem, aut Bruti æstatem *καὶ σὺ τέκνον* re-,
ferendum, quam ad illud, quod Bru-,
tum ex Servilia & Cæsare conceptum, „
multi credidere.,, Quæritur, an etiam
de patre suo, Cæsare inaudierit quidpiam
Brutus? In dubio relinquit Appianus, in-
quiens: (138) „Brutus sive ingratus, si-,
ve ignorans, aut non credens, aut pu-,
dori sibi ducens matris impudicitiam, „
sive liberatis amore patri patriam præf-
rens, &c.,, Sed mihi perquam sit pro-
bable, aut ipsum Cæsarem, aut Cæsaris
voluntate alios ei indicasse. De adulteri-
orum, qua flagrabat, infamia non ma-
gnopere laborabat Cæsar, sed tantum
moleste ferebat, quod παχυτιασμός fœ-
dior ipsi propalam inureretur macula, ut
superiori paragrapho vidimus. Accedit,
quod, legitima destitutus mascula prole
idem Cæsar, tam impotenti Brutum de-
perierit amore, ut huic non potuerit non
subolere, pro notho ipsum filio suo Cæ-
sarem habere. Taceo frequentissimos de-
eo sparsos rumores, quorum nullos un-
quam ad Bruti aures pervenisse, quam
difficile ad credendum est? Prætero,
quod nulla æque idonea dari causa queat,

cur

(137) ad Sueton. Jul. Cæs. cap. LXXXII, p. m. 95.

(138) lib. II. bell. civil. p. 812, init.

cur inter omnes Cæsaris percussores Brutum maxime Augustus (de quo mox dicam) odio habuerit, quam quod & ei fuserit persuasum, cæteros quidem patroni, at patris insuper sui hunc, scientem vorantemque, se polluisse sanguine. Quocirca non cædem simpliciter, sed parricidium Brutus fecit, eique ademit vitam, a quo sua non servata modo post pharsalicam pugnam vita, verum etiam data initio erat. Quid quod cæteri omnes ne conjurare quidem contra Cæsar is caput sustinuissent, nisi facti se præbuisset autorem atque ducem Brutus. Plutarchus : (139) „Solicitanti in Cæsarem „amicos Casilio omnes, si dux Brutus esset, „annuere. Neque enim manus, neque „audaciam ostenderunt se requirere, sed „autoritatem viri, qualis hic esset, quasi „auspicantis, & præsentia sua honestatem „comprobantibus facti. Absque eo & in „suscipienda re animo se dejectiore fore, „& suspectiores perpetrata.., Ita omnis nefandi facinoris invidia ad unum quodammodo reddit Brutum, & qui parricida, idem princeps autor cædis reliquorum cunctorum fuit. Sed Casius nos ad se vocat. Utut vir ille a quibusdam laudetur, (140) multo tamen plures eum vituperant.

Secta

(139) Bruto p. 988. B. I. 8. (140) App. Alex. lib. III. bell. civil, p. 1066. Florus lib. IV. cap. VII. fin.

Secta fuit epicureus, (141) homo violens,
asper, immodestus & dicax, arrogans, (142) quin crudelis & sanguinarius,
(143) sordidus vero in primis atque
avarus, (144) quo impulsus vitio templum
quoque hierosolymitanum spoliasse per-
hibetur. (145) Consentient autores, Bru-
to eum inferiorem omnibus fuisse virtu-
tibus, praterquam sola bellica laude,
(146) eidemque autorem Bruto ad non-
nulla per vim & prater jus perpetranda.
(147) Quod vero ad nos spectat proprius,
hic Cascius fuit primus insidiarum Cæsari
struendarum autor atque machinator, qui
ceteros omnes, & cum primis Brutum,
instigavit, utque hunc posset blande ac
potenter, prior eum ab illa de prætura
urbana dissensione convenit, &, simul
atque cum illo in gratiam rediit,
ad summam industriam nihil fecit re-
liqui, donec & criminando invidiosissi-
mum Cæsareum, & Brutum ipsum immodi-

T. II. P. IV. B b b cis

(141) Cicero lib. XV. ad Famil. epist. XVI. & XIX.
Plutarch. Bruto p. 1001. l. 3. (142) Plutarch.
Bruto p. 987. F. p. 988. A. p. 997. B. & D. Vell. Pat.
lib. II. cap. LXXII. init. & App. Alex. lib. IV. bell. ci-
vil. p. 1057. med. (143) Plutarch. Bruto p. 984. C.
& p. 998. l. 10. Vell. Pat. lib. II. cap. LXIX. fin.

(144) Plutarch. p. 998. l. 5. & p. 999. B. l. 3. & Au-
rel. Viæt. de viris illustr. cap. LXXXIII. (145)
Fornand. de regn. success. cap. LXIV. fin. (146)
Plutarch. Bruto p. 997. B. & D. Vell. Pat. lib. II. cap.
LXXII. init. & App. Alex. lib. IV. bell. civil. p. 1057.
med. (147) Plutarch. Bruto p. 1006. l. 10.

cis efferendo laudibus, in sententiam suam ambitiosissimum adolescentem pertraheret; id quod fuse enarrat Plutarchus. (148) Qui autem paulo ante (149) affirmans, ingenitum Cæsio odium & fel contra tyrannorum gentem, cuius puer etiamnum dederit indicium, potissimum ei interficiendi Cæsaris fuisse causam, secum ipse dissidet, parumque accuratus est. Nam testatur deinceps, (150) arbitratos omnino Romanos esse, Casium, utpote violentum virum ac iracundum, & subinde a recto ad utile evectum, *potius ad querendam sibi potentiam, quam civibus libertatem, bellum gerere, & circumcursitare, & subire discrimina.* Quam belle vero convenient, & sede morantur in una innatum contra tyrannos odium, & quæsita, non civibus libertas, sed sibi potentia! Sed nec hæc proprius antecedentia (151) cum insito adversus tyrannorum gentem odio conciliaveris: „Ferocis vir animi „Cassius, magisque privatim Cæsari, quam „publice tyranno infestus, incendit & sti- „mulavit Brutum. Dicitur Brutus regnum „non tulisse, Cassius odisse regem., Quantæ inconstantiæ & oscitationis est, eum, qui ita scripsit, paulo post (152) subjun-

(148) Bruto p. 988. B-E. (149) p. 987. fin. (150)
p. 997. D. (151) p. 987. D. 4. 5. (152) ibid. E. 1. 7

jungere: „Leones sibi ablatos Casrium, „
in Cæsarem conspirandi potissimum ar-, „
ripiuisse causam autumant, sed parum, „
vere. Nam fuit ei a prima ætate ingeni-, „
tum adversus tyrannorum gentem odi-, „
um. „ Quid leones ablati? Prælatus in
prætura urbana Brutus potissima odii fuit
causa, quod cum alia multa, pariter Plu-
tarcho non tacita, (153) tum dicti leo-
nes postmodum auxerunt. Quare quam
primam odii causam ipse Plutarchus posu-
erat, dicens: (154) „Casio alia prætura, „
data: qui vero non tantum gratiæ ob-, „
hanc, quam accepit, habuit, quantum, „
in Cæsarem exarsit ob illius repulsam; „
in ea etiam, tanquam potissima, illum
subsistere oportuisset; aut potius genera-
tim confiteri, non *rempublicam*, sed *pri-
vatas* suas injurias odium Cæsaris Casio
ingenerasse. Nam ita alibi: (155) „Acuit,
Brutum Cassius, quam ante, acrius, „
quod esset *privato* quodam in Cæsarem o-, „
dio incensus. „ Ad consulatus vero re-
pulsam odii referens causam Paterculus,
(156) similiter *privatum* illud fuisse largi-
tur, qui: „Conjurationis, ait, autoribus,
Bruto & Casio, quorum alterum pro-, „
Bbb 2 „mit-

(153) ibid. D. 1.8. (154) ibid. B. (155) Cæ-
sare p. 737. C. 1. 3. (156) lib. II, cap. LVI.
num. 3.

„mittendo consulatum non obligaverat
„Cæsar, contra differendo Cassium offen-
derat.“ An autem juste agit, qui rem-
publicam & civium libertatem obtentui
sumit, ut privatum suum expleat odium?
Ipsum privati odium an censeri justum pot-
est, quod inimici petit sanguinem, & ob-
denegatos honores vitam eripit? Civiles,
æquum est, civium pacis tempore sint
dissensiones, non hostiles & sanguinaria.
Num debiti præ ceteris omnibus honores
illi Cassio erant? Qui jure armorum to-
tius reipublicæ, & honorum pro Iubitu
conferendorum summam Cæsar habebat
potestatem; neque alia conditione serva-
tus cum reliquis victimis Cascius, acceptus
que in fidem erat, quam ut, quicquid
Cæsar ficeret, id ratum haberet; de quo
mox pluribus agam. Sufficerit nunc di-
xisse, nulla justitia defendi posse, occi-
sum a Cassio eum, cui occidendus ipse
belli jure vitam suam acceptam referebat.

§. XV. Tam impudens est Suetonius,
ut, cum distincte scribat Tacitus (157)
occisum dictatorem Cæsarem aliis pessimum,
aliis pulcherrimum facinus viuum esse, ipse
generatim dicat, (158) existimari eum jure
cæsum.

(157) Annal. lib. I. cap. VIII. (158) Jul. Cæs.
cap. LXXVI. init.

cæsum. Quo fucum lectori facit, nititurque ei persuadere, vulgo id creditum, & aut nulos omnino fuisse, aut oppido paucos, qui diversum sentirent. Verum ipsos primum deos Cæsaris cædem improbasse, communis tantum non omnium fuit opinio. Solis mitto deliquum, sterilitatem frugum, Urbis inundationem, adversaque plurima alia, quibus conflictati statim a nece Cæsaris Romani sunt, quæque ad iram deorum, justas cædis hujus poenas repetentium, esse referenda, non solum postea in gratiam Augusti, sed & tunc, cum acciderent, communis vox ac fabula fuit. De percussoribus quæ traduntur, juvat tantum expromere. An factum aliquod Numini placuerit, nec ne, judicant plerumque homines, nec male semper, ex proemiis pœnisque, quibus autores in præsenti jam seculo affecit. Jam qualem interfectores Cæsaris tulerunt mercedem? Ipse narret ita Cæsarem suum finiens Suetonius: „Percussorum,, tere neque triennio quisquam amplius,, supervixit, neque sua morte defunctus,, est. Damnati omnes, alias alio casu,, perii: pars naufragio, pars prælio, „nonnulli semet eodem illo pugione, quo,, Cæsarem violaverant, interemerunt., A-
pertius Deum vocat in partes Appianus:

(161) *mitte adorq* Bbb 3 ad VI. dicit (160)

(160) „Quamvis, inquit, tam egregii
 „viri Brutus & Cascius essent, omnibus
 „tamen eorum cœptis adversabatur per-
 „petratum in Cæsarem facinus, quippe
 „nec simplex, nec modicum. Amicūm
 „enim, nec opinum, oppresserant; in-
 „grati erga bene meritum, qui belli jure
 „captos servaverat; & oppresserunt per-
 „sumimum nefas imperatorem suum, e-
 „umque in curia, porro pontificem, fa-
 „cra indutum veste, potentiaque eminen-
 „tem, quantum non aliud; ac denique
 „supra cæteros omnes imperio patriaque
 „utilissimum. Quapropter *Nomine irato*
 „prodigia quoque prænuntia illoram fue-
 „re exitus... Sed quid vetat, quo minus &
 „prodigia illa, & tragicos percussorum exi-
 „tus, & Romanorum, quæ tetigimus, aduersa
 plenius enumerantem addamus Plutar-
 chum? (161) „Magnus ille dæmon, qui
 „vivo adsuit Cæsari, nec mortuum destri-
 „tuit necis ejus ultor, sed omni terra ma-
 „riique persecutus est atque investigavit
 „interfectores, quoad nullus superfuit.
 „Omnes enim, qui ulla re, sive manu
 „cædis facti affines, sive consilii fuerant
 „confortes, vindicavit. Porro inter hu-
 „mana signa mirandum in primis est, quod

(160) lib. IV. bell. civil. p. 1066. s. fin. (161)
 Cæsar. p. 740. E. F.

Cæsio accidit. Hic, vicitus ad urbem, „
Philippos, eodem femeſ ipſe, quo Cæſ- „
ſarem violaverat, pugione intermit. „
In cœleſtibus eminet grandis cometæ, „
qui post Cæſaris necem eximie fulgens, „
ſeptem noctes apparuit, ac dein ſubdu- „
ctus est; itemque jubaris ſolis obceca- „
tio. Nam toto illo anno orbis ejus ſine, „
fulgore pallidus emerſit, debilemque &, „
tenuem dimiſit calorem. Itaque nubi- „
lus aer & gravis extitit imbecillitate te- „
nuantis eum teporis: unde fructus cru- „
di immaturique elanguerunt ob cœli ri- „
gorem, & flacci diuina evaſerunt. Præcipue, „
vero oblatum Bruto ſpectrum Cæſaris, „
cædem denunciavit non fuſſe diis cordi. „
Spectrum illud, quod malum Brutii geni- „
um ſe dixit, & binis ei vicibus apparuit, „
fusæ deinceps refert. Sed & facit alibi, „
(162) pariterque Appianus, (163) & Flo- „
rus; (164) de quo autem, non hujus eſt „
loci, anquirere. Cæſaris in bello civili „
fortuna Lucanum permovit, ut caneret: „
(165) Victrix cauſa deis placuit. Igitur ex „
adverso percuſſorum Cæſaris infortunium „
argumento eſſe Romanis potuit, ut, di- „
ſplicauiffe eorum cauſam deis, judicarent.

Bbb 4

Se-

(162) Bruto p. 1000 E. F. (163) lib. IV. bell. civil. p. 1067. med. (164) lib. IV. cap. VII.
(165) lib. I. v. 128.

Senatus quidem pars magna ipsi fuerunt
 interfectores, qui in curia idcirco, Cæ-
 sari confertim circumfusi, nefarium faci-
 nus commiserunt; cumque nati passim
 amplissimis essent familiis, multos etiam
 alios ex patribus sceleris sui habuerunt
 fautores atque defensores; quibus se illi
 conjunxerunt omnes, quos, omnem
 suam potestatem unum sibi arrogasse Cæ-
 sarem, urebat. At horum quam ingens
 fuerit turba, pronum est arbitrari. Ni-
 hilominus inventi quoque statim ab ini-
 tio sunt, qui improbarent atque abomi-
 narentur; unde Appianus: (166) „Pars,
 „ait, senatus sincerior facinus occisi Cæ-
 „sar is, ut piaculare, aversata, non ta-
 „men reverentia nobilium familiarum,
 „quo minus impunitate donarentur male-
 „fici, ob sistebat; id autem ferebat mole-
 „stissime, si honorarentur illi etiam, ut
 „bene meriti.., Sed numero inferior hæc
 fuit pars; unde rursus idem: (167) „Se-
 „natus modica pars, ab affectibus violen-
 „tis pura, indignabatur, plerique variis
 „modis homicidas (Brutum & socios)
 „juvabant.., Veruntamen, cum non nu-
 mero judicium, sed valeat pondere, mo-
 dicam hanc partem merito opponimus &
 prax-

(166) lib. II. bell. civil. p. 826. init. (167) pag
 preced. 825. med.

præponimus alteris plerisque, qui universi
fœdisimis perjurii, parricidii & violatæ san-
ctissimæ religionis se criminibus obstrin-
xerunt. Suetonius: (168) „In funere Cæ-,,
saris consul Antonius per præconeim pro,,
nuntiavit senatus consultum, quo omnia,
ei *divina* simul atque humana decreve-,,
rat; item *jusjurandum*, quo se cuncti pro,,
salute unius adstrinxerant.,, Dio Cassius:
(169) „Nomen patris patriæ senatus Cæ-,,
sari imposuit, decrevitque, ut eodem „
quo tribuni plebis, beneficio uteretur; „
nimirum ut, qui ei vel verbo, vel re in-,,
juriam intulisset, is, sacrilegio ac piacu-,,
lo se obligasse, existimaretur.,, Appia-
nus: (170) „Ad emerendam Cæfaris gra-,,
tiam omnes humani *divinique* in eum con-,,
gesti honores sunt, appellatusque & *sa-*,
crofanclus (*ῥὸ σῶμα ἵερος καὶ ἀσυλος*) est.,, I-
dem: (171) „Perpetrato hōc ab homi-,,
cidis (Bruto & conjuratis reliquis) scele-,,
re, in sacrato loco & in sacrosanctum,,
hominem.,, Porro apud eundem Anto-
nius consul hæc facit verba: (171) „Ex,,
odio privato nihil agamus, sed propter,,
piaculum & sacramentum, quod Cæsari,,
Bbb 5 „omnes

(168) Cæsar. cap. LXXXIV. (169) lib. XLIV. p.
242. C. l. 6. & p. 243. l. 3. (170) lib. II. bell. ci-
vil. p. 806. med. & fin. (171) ibid. pp. 817. &
823. fin.

„omnes diximus, servaturos nos eum in-
 „columem, aut ulturos, si quid ei secus
 „acciderit, religio postulat, ut scelere
 „contacti (Brutus & complices) pellantur;
 „& potius vivamus cum puris paucioribus,
 „quam nos omnes diris obnoxios facia-
 „mus.“ Similiter apud cundem (172)
 Lepidus: „Quæ nobis patria sunt, ea ju-
 „ravimus Cæsari omnia, sed conculca-
 „nunc ab iis sunt, qui jurarunt inter præ-
 „cipuos.“ Ad *populum* romanum con-
 versi senatorum videmus paucitatem ejus
 abunde compensari multitudine. Appia-
 nus: (173) „Statim a Cæsaris trucidatione
 „percussores, cruentos tenentes gladios,
 „vociferantesque, regem se & tyrannum
 „sustulisse, per plateas currebant. Quo-
 „niam vero populus eis se non adjunge-
 „bat, hæsitabant inopes consilii & metu-
 „ebant; de senatu quidem, quamvis per
 „ignorantium & tumultum confessim dif-
 „fugerat, bene sperantes, vel quod ipsis co-
 „gnati amicique essent plerique ejus ordi-
 „nis, vel quod & illi moleste ferrent tyran-
 „nidem; populum autem suspectum ha-
 „bentes & emeritos Cæsaris.“ Plutarchus:
 „(174) Postero die descenderunt conjurati
 ex,“

(172) *ibid.* p. 830. init. (173) *lib. II. bell. civil.*
p. 818. fin. & p. 819. med. (174) *Cæsar* p. 74.
l. 7.

ex Capitolio, ac concionem habuerunt.,
Populus autem præbuit ita dicentibus au-,
res, ut neque improbaret, neque pro-,
baret factum; sed obstinato silentio Cæ-,
sarem significavit miserari se, Brutum,,
vero in reverentia habere.,, Idem: (175)
„Conspicuum Bruti plebs est reverita, „
quamvis collectitia & ad turbam para-,
ta, deditque ei modeste & sedate audi-,
entiam. Exorsò dicere Bruto silentium, „
dum diceret, omnes præbuere. Sed, „
non suisse omnibus factum illud gra-,
tum, demonstraverunt; quod, quum, „
dicere Cinna, & Cæsarem accusare cœ-,
pisset, in iram erumperent, & Cinnam,,
lacerarent maledictis., Rursus idem:
(176) „Rebus ipsis poscentibus unum,,
principem, Cæsar lenissimum quasi me-,
dicum ab ipso se Deo ostendit datum.,,
Quare Cæsarem illico populus romanus,,
desideravit, fuitque infensus & implaca-,
bilis percussoribus ejus., Quam impla-
cabilis populus exarserit, tum demum e-
videntissime apparuit, cum Cæsaris & re-
citatum ei testamentum, & corpus, sicut
erat a cæde sanguinolentum, extantibus
in eo multis patentibusque vulneribus,
illatum in forum, propositumque omni-
bus

(175) Bruto p. 992. D. (176) ibid. p.
zeie. B.

bus fuit: quanquam Appianus, (177) non ipsum in lectica supinum cadaver fuisse conspicuum, sed effigiem ejus in machina versatili, tradat, in quo tamen assimilato corpore nota etiam viginti trium vulnerum undique eminuerint, quibusdam ipsi faciei immaniter inflictedis. Enimvero ad miserandum hunc adspectum populus congreguit universus, facibusque armatus ac telis tum curiam incendit, in qua cæsus Cæsar erat, tum parricidas, sed qui mature diffugerant, discurendo perquisivit, eo furoris per iram moestitiamque progressus, ut tribunum plebis Cinnam pro altero Cinna, qui prætor pro concione in Cæsarem invectus fuerat, nihil moratus excusantem nominis similitudinem, tam rabide discerperit, ut nullum ejus membrum potuerit ad sepulturam inveniri. Deinde arreptis ex incendio curiaz torribus in ædes conjuratorum factus plebis est impetus; & licet discedere tandem cogeretur, cras tamen minata est ad eas expugnandas se cum armis redditram; qua de causa etiam conjurati clam ex urbe profugerunt. Verum & toti senatui graviter succensuit, quod pereuentem adspexissent eum virum, pro quo ut quotannis publice vota conciperentur,

de-

(177) lib. II. bell. civil. p. 847. med.

decrevissent; per cuius jurassent salutem & fortunam; quemque juxta cum tribunis inviolabilem esse iussissent. (178) Ex testamento Cæsaris hortos ejus circa Tiberim populus publice, & viritim trecentos sestertios accepit: quæ res denuo ejus commovit indignationem, dum amatorem civium & patriæ patrem ex hoc testamento agnovit eum, quem modo, tanquam tyrannum, incusari audierat. Sed maxime eum incendit, quod *Decimus Brutus* inter secundos hæredes scriptus a Cæsare erat: (179) de quo scelere ac portento pauca mihi liceat subjungere. Fuerat homo non pompejanarum partium, sed intimus semper Cæsaris amicus, qui paterna eum charitate complexus est, maximam ei habuit fidem, summos contulit honores, & uti opera ejus in gravissimis quibusque negotiis non dubitavit. Quid multa? Ipso illo, quo occisus est Cæsar, anno Cæsaris beneficio consul designatus erat; iturusque ad africanum bellum Cæsar provinciam ei Galliam transalpinam, uti cisalpinam alteri Bruto, com-

mi-

(178) Appian. loc. cit. Dio Cass. lib. XLIV. pp. 258. & 267. init. Plutarch. Cæs. p. 740. B. - D. Sueton. Cæs. cap. LXXXV. (179) Appian. lib. cir. p. 843. Dio Cass. p. 258. init. Plutarch. Cæs. p. 738. B. & p. 740. B. Sueton. Cæs. cap. LXXXIII.

miserat; & pridie diei trucidationis suæ apud Lepidum cœnaturus umbram illum, five convivam invocatum secum adduxerat. (180) Nihilo secius bipedum omnium injustissimus, ingratisimus, vita, qua nihil est amabilius, amantisimum sui vi-
rum privavit. Duo autem imprimis sunt, quibus exscrabilem se apud omnem po-
steritatem hic perditissimus nebulo præ
universis cæteris reddidit conjuratis. Nam
primum iis validam *gladiatorum* paravit
præbuitque manum, qua post factam in
curia cædem stipati tuto repetere domos
suas, & Capitolium dein occupare potu-
erunt, nec impetum concitatæ multitudi-
nis, aut addictissimorum Cæsari mili-
tum habuerunt pertimescendum. (181)
Erant vero truculentissimi flagitosissimi-
que homines gladiatores, & tam infames
Romæ, ut, si quis ignominia afficere i-
nimicum suum vellet, gladiatorem eum
appellaret. Decumanum Decimi alterum
scelus est, quod, cum die cædi destina-
to Cæsar ad ardentissimas uxoris Calpur-
nia preces ob infausta plurima ostenta ac
præ-

(180) Appian, ibid. p. 811. med. p. 814. med. & p.
847. l. 5. Vell. Pat. lib. II. cap. LVIII. init. &
Dio Cass. lib. XLIV. p. 247. B. (181) App. Alex.
lib. II. bell. civ. p. 819. fin. p. 822. l. 15. Vell. Pat.
lib. II. cap. LVIII. init.

præfagia domi se teneret, & conferre se
in curiam tergiversaretur, nequissimus
proditor eum adiverit, & fallacissimis
multis persuasionibus usus manu tandem
prehensum eduxerit; ut prolixe Plutar-
chus (182) refert. Quis igitur scribentem
miretur Appianum: (183) „Id profecto,,
ut nefarium facinus, omnes exhorru-,,
runt, conjurasse in Cæsaris caput eum „,
qui adoptatus esset in filium? „ Quis quo-
que Vellejum: (184) „Iugulatus ab iis, „,
quos miserat Antonius, Decimus Brutus,,
justissimas optime de se merito viro, Ca-,,
jo Cæsari poenas dedit. Cujus cum pri-,,
mus omnium amicorum fuisset, inter-,,
sector fuit; & fortunæ, ex qua fructum,,
tulerat, invidiam in autorem relegabat, „
censebatque æquum, quæ acceperat a „,
Cæsare, retinere; Cæsarem, qui illa de- „,
derat, perire? „ Ad Brutum hunc acces-
fit propius C. Trebonius, quem idem
idcirco Vellejus (185) virum appellat ad-
versus merita Cæsaris ingratissimum, parti-
cipenque cœdis ejus, a quo ipse in consulare
proiectus fastigium fuerat. Sed quam mul-
tos insuper alios sui similes parricidalis la-
nistæ habuit? Plures percussorum, ait Sue-
toni-

(182) Cæsar. p. 738. B-D. (183) lib. cit. p. 843.
s. fin. (184) lib. cit. cap. LXIV. init. (185) ibid.
cap. LXIX. init.

tonius, (186) in tutoribus filii, si quis sibi
nasceretur, Cæsar per testamentum nomina-
vit. Et Dio Cassius: (187) Præter Dec.
Brutum alii nonnulli percusorum, Octavii tu-
tores, & Cæsaris bonorum hæredes, si ad O-
ctavium ea non pervenissent, testamento illo
instituti sunt, itemque aliis alia legata.

§. XVI. Audiamus tamen, quibus se
præsidii egregii viri tueantur. Libertati-
tem, clamant, reddere populo romano volui-
mus, ideoque confestim, cæde peracta, discur-
rentes per urbem ad libertatem vocavimus ci-
vies, præferente quodam ex nobis in hasta pi-
leum, recuperare libertatis insigne; (187) &
dux postea noster, Brutus numum percusit
cum imagine & sua, & pilei, & duorum
pugionum, eo ipso & addita insuper inscripti-
one declarans, & suo & Casii pugione vindici-
catam in libertatem patriam esse. (188) As-
surgo Ciceroni vestro, sub finem ejus o-
rationis, (189) qua falsissimis vos in cœ-
lum effert laudibus, (190) affirmanti,
malorum omnium postremum esse servitutem,

(186) Cæs. cap LXXXIII. (187) lib. XLIV. p.
258. init. (187) App. Alex. lib. II. bell. civ. p.
819. init. (188) Dio Cass. lib. XLVII. p. 341. fin.
(189) Philippic. II. cap. XLIV. num. 113. (190)
cap. XIII. num. 32. 33. &c. coll. lib. XIV. ad. Attice.
epist. IV. VI. XI. &c.

non modo bello, sed morte etiam repellendum.
Sed nec minoris facio Valerium Maximum, ita alicubi (191) ordientem: „Li-„
bertatem, vehementis spiritus dictis pa-„
riter ac factis testatam, ut non invitave-„
rim, ita ultro venientem non exulse-„
rim. Quæ, inter virtutem vitiumque,
posita, si salubri modo se temperaverit, „
laudem; si, quo non debuit, profude-„
rit, reprehensionem meretur. Atque vul-„
gi sic auribus gratior, quam sapientissi-„
mi cuiusque animo probabilior est: ut-„
pote frequentius aliena venia, quam sua,
providentia tuta. „ Vos autem in eo erra-
tis vehementissime, quod omnino ta-
lem adhuc populum romanum arbitrati
estis, qualem audieratis fuisse, quo tempo-
re Brutus reges expulit; non intelligen-
tes, expectare vos duas res inter se con-
trarias, ut iidem *libertatem* ament, qui
largitionibus corruptantur. Nam largitio-
nibus placuit vobis, in Capitolio consul-
tantibus, tentare plebem, quod inani spe
duceremini, si inciperent modo aliqui
hujus fæcis factum vestrum laudare, cæ-
teros amore libertatis eorum fecuturos
exemplum. Ita Appianus, (192) qui deinde,
quam corruptus libertatisque impa-
T. II. P. IV. Ccc ti-

(191) lib. VI. cap. II. init. (192) lib. II. bell. civ.
p. 819, fin. & p. 820.

tiens ætatis vestræ populus romanus fuerit, per partes exsequitur. Sed idem quam invictis evici ipse ego argumentis? Tota jam prodiit quadripartita *de summa constitutiorum primorum cœsarum necessitate & utilitate* dissertatio mea, quæ multis hanc in rem videatur locis. (193) Stultius est, quod *rempublicam* adjungitis senatui populoque per Cœsaris cædem *reddendam*. Neuter imperare sibi potuit, verum turpis sumis uterque mancipatus cupiditatibus in omne nefas, qua data porta, ruit. Qui ergo maximæ præesse reipublicæ? Qui imperare orbi propemodum universo abjectissimi vitiorum suorum servi, ita, ut par est, quivissent? Sed tædet repetere, quæ dicta dissertatione de Romanorum quoque per impotentissimos affectus suos regnandi potentia copiose tradidi. (194) Qui universam hujus, libertate sua fruentis, populi historiam, in primis quantum ejus consignavit, qui consignavit omnium accuratissime, Dionysius Halicarnasseus, a capite ad calcem pervolvit, nihil esse aliud eam inveniet, quam perpetuam litigiorum plebem inter atque patricios seriem, quibus itum frequenter ad mutuas est cædes & civilem san-

(193) Part. II. §§. II. & III. Part. III. §. IV. &c

(194) Part. II. §§. III. & IV.

sanguinem, ut non disfidia amplius essent, sed seditiones & bella domestica; & a quibus nunquam, nisi ingruente externo graviore hoste, & ne sic quidem saxe, respiratum. Nihil autem toto hoc tempore actum indignius est, quam quod pœnis plusquam servilibus in libera obæratorum corpora divites credidores sævierunt, qua rabies mox ab ultimi regis, Tarquinii Superbi ejectione jam incepit.

(195) Queruntur miseri illi ore primi tribuni plebis, L. Junii Bruti: (196) „Ne,, libertas quidem nobis supereft, arinis,, parta & laboribus. Omnia vel bellum,, pessum dedit, vel quotidiana absunfit,, inopia; &, si quid relictum est, cessit,, superbis fænectoribus. Ad ultimum eo,, miseriæ ventum est, ut nostros agros il-,, lis cogamur colere, fodiendo, plantan-,, do, arando, pecora pascendo, nostro-,, rum mancipiorum conservi; pars cate-,, nis nexi, pars pedicis, nonnulli, velut,, truculentissimæ bestiæ, bojis aut massis,, orbicularibus. Tacemus tormenta &, contumelias, flagraque & labores e no-,, ñte in noctem, ceteramque violentam,, crudelitatem, & injuriosam, quam susti-,, nuimus, superbiam.,, Nescio igitur, an

Ccc 2 mul-

(195) Dionys. Hal. A. R. lib. V. p. 319. lin. 22.

(196) apud eundem lib. VI. p. 402. l. 14.

multo satius romano populo fuerit, unus subjici imperio, quam habere quidem reipublicam, sed a tot simul tyrannis di-
 vexari. Josephus: (197) „Trucidato Ca-
 „ligula dissensio orta inter populum sena-
 „tumque est. - Intelligebat populus, frœ-
 „num cupiditatibus senatorum imperato-
 „riam esse potestatem, sibique *adversus*
 „potentiorum *injurias perfugium*, & hinc
 „Claudii ad imperium raptu gaudebat.,,
 Reddenda autem a vobis, Conjurati, res-
 publica quam gemina reipublicæ est pla-
 tonicæ, quæ inter ea, quæ fieri nequeunt,
 insignem obtinet locum? Neque enim per
 milites, neque per ipsum atrocissimi fa-
 cinoris vestri primum autorem, Cassium
 (198) reddere vobis bona fide licuit. De
 militibus abunde probavi dissertatione *de*
primorum cæsarum necessitate & uilitate,
 (199) allatusque modo Josephus paulo
 ante (200) dicit: „Militibus in mentem
 „veniebat, quanta essent aviditate, qui in
 „senatu dominarentur; quæque admis-
 „sent & perpetravissent, dum imperio po-
 „tirentur.,, Pariter de populo (201) vidi-
 mus,

(197) Ant. Jud. lib. XIX. cap. III. §. 3. sub init.

(198) Vell. Pat. lib. II. cap. XLVI. fin. Plutarch.

Cæs. p. 737. C. & Brut. p. 988. B. I. 8. (199) Part.

III. §. VI. & Part. IV. §. I. (200) ibid. §. 2.
 sub fin.(201) proxime anteced. hujus §. collat.
 rursus disp. mea de *primorum cæsarum necessitate*

&c. part. IV. §. III. p. 7.

mus, & Casio. (202) Qui igitur red-
dere populo romano nec libertatem, nec
rempublicam potuistis, quid tandem ei-
vere reddidistis? Horrenda civilia bella;
triumviratum injustissimum & sanguini-
sum; proscriptiones in eo clarissimorum
optimorumque civium, longe syllanas &
numero & atrocitate exsuperantes, atque
infinita alia mala. Dio Cass. (203) „Cæ-
sar is impia cædes ex concordia iterum,,
seditiones, civiliaque bella Romæ intu-,,
lit.,, Et aliquanto post: (204) „Quæ si,,
cum animis suis M. Brutus & C. Casius,,
reputassent, nunquam reipublicæ occi-,,
dissent patronum ac tutorem; neque sibi,,
aliisque, qui ea tempestate vivebant, „
hominibus ita *infitorum malorum autores*,,
fuissent.,, Rursus idem: (205) „Sic e-,,
gerunt triumviri Lepidus, Antonius &,,
Augustus, ut, regnum Jul. Cæsaris *aure-*,,
um fuisse, appareret.,, Cæsar ipse prævi-
dit, quem dicere solitum ferunt, non
tam sua, quam reipublicæ interesse, uti
salvus esset; se jam pridem potentia glo-
riæque abunde adeptum; rempublicam,
se quid sibi eveniret, neque quietam fo-
re, & aliquanto deteriore conditione ci-
CCC 3 vi-

(202) §. XIV. hujus post. diff. ex Plutarcho.

(203) lib. XLIV. init. (204) p. 241. fin. (205)
lib. XLVII. p. 336. init.

vilia bella subitram. (206) Et cui non dicta sunt, quæ dixit in hanc sententiam pro Marcello Tullius, tamque copiose dixit, ut quatuor absolvant capita? (207) Quis ergo ægre ferentem tulerit Xiphilinum, (208) quod Dio scribat, διὰ ἀλτηριάδη τινὰ οἴστον, execribili quodam vos furore impulso Cæsarem confecisse? Opponit quidem ille testantem in Parallelis Plutarchum, eo vos progressos esse διὰ φρόνματος ἀξίωμα φιλελεύθερον, παὶ προαιρέσεως εὐγένεια πάτερ ἐθελόδελον, per excelsum vestrum εἰς libertatis amatoribus dignum animum, illoque consilio, cui nihil aequum ac serviendi repugnet voluntas: & Plutarchi, ad quem provocat, locus dubio procul hic est: (209) „Summæ opus solertia, & „magni cujusdam imperatoris æmulum „suit, Cæsarem, potentia tanta succin- „ctum virum, capere incautum ac nu- „dum. Neque enim repente Brutus, ne- „que solus, aut cum paucis adortus eum „interfecit, sed diu præmeditato consi- „lio aggressus est cum multis, quorum „fæsellit eum nemo. Aut enim a primo „delegit optimos, aut illo delectu eos, „qui-

(206) Sueton. Cæs. cap. LXXXVI. fin. (207)
capp. VII. - X. (208) excerpt. Dionis lib. XLIV.
init. p. m. 157. fin. (209) Brutus fin. p. 1011. B.
1.6.

quibus fidem habuit, reddidit bonos.,
Sed intereft multum inter consilii *suscepti-*
onem, de qua Dio, & ejus *executionem*,
de qua potissimum Plutarchus loquitur.
Suscepistis cædem di ἀλιτηριώδη τινὰ οἶσπον,
per execrabilem quendam atque exitiosum fu-
rorem, quia, tanquam mente capri & per-
citi furore, non cogitaftis, quanto *exitio*
una illa cædes, & vobis, & toti romano
populo, futura effet. Verum laudat vos
Plutarchus, quod *executi* difficillimum
factum estis provide, prompte, feliciter,
& mutua vobis fide tam integre servata,
ut, licet sexaginta amplius effetis nume-
ro, (210) tamen lateretis: quanquam in
Plutarchi encomio permixta veris falsa
sint, & supinum potius incredulumque
Cæfarem, cui prodita plus semel conju-
ratio fuit, qui vero tantum abeft, ut fi-
dem adhiberet, ut tandem deferentes ad
se id genus sermones magnis afficeret pœ-
nis, (211) quam vestram mirari conve-
niat folertiaiam atque fidem.

§. XVII. Venio nunc ad murum
vestrum aheneum, & triplex circa pectus
æs: nam ita vobis persuadetis. *TYRAN-*
NUM, iterum iterumque vociferamini,

Ccc 4 occi-

(210) Sueton. Cæf. cap. LXXX. (211) Dio Cass.
lib. XLIV. p. 247. B. l. 7.

occidimus. Fædissum & teterrimum expidimus parricidium patriæ! (212) Qua vos objurgatione , aut quo potius convitio , convitiatores impudentissimi , coner in ruborem dare , & maledicentissimum vestrum occludere os? An *tyrannus* vobis est Cæsar , quo post hominum memoriam nullus unquam clementior princeps extitit ? Hocne vestrum plerique & præcipui experti sunt ipsi , quos , cum victoria ejus conditione jure omnes occidissent , clementiæ suæ judicio conservavit ? (213) Quam multa mitissimi ipsius ingenii paulo ante (214) dedimus documenta ? Quique plura desiderat , adeat Ciceronem , (215) Plutarchum , (216) Suetonium (217) & Polyænum . (218) Vobis autem pudori non est , Tullii (219) tantam mansuetudinem , tam inusitatam inauditanque clementiam , tantum in summa potestate rerum omnium modum in *tyrannidem* convertere. Clementiæ ædem Cæsari non im-

(212) Cicer. lib. III. Offic. cap. XXI. num. 8. (213) idem pro Marcell. cap. IV. fin. (214) §. XII. p. 706. sqq. (215) pro Dejorar. p. m. 249 s. fin. pro Marcell. cap. VI. num. 17. & cap. VII. num. 22. ac pro Ligar. cap. VI. fin. & ad Familiar. lib. VI. epist. VI. p. m. 240. col. b. fin. (216) Cicerone p. 880. E. & p. 881. C. I. 10. (217) Cæsar. cap. LXXV. (218) Strateg. lib. VIII. cap. XXIII. num. 30. & 31. (219) pro Marcell. init.

immerito, ut judicat Plutarchus, (220) ad honorandum ejus lenitatem senatus decrevit; & vos senatores eum in curia, ut ſavum & sanguinarium, trucidastis. Nisi cavenda prolixitas eſſet, demonstrarem ex facili, vestrum utrumque Cneum Pompejum, & patrem, & filium; (221) quodque magis miremini, ipsum vestrum Ciceronem (222) tyrannum potius, quam Cæfarem, habendum eſſe. Hunc ut ex uno ungue leonem cognoscatis, percipite, quid ſcripferit ad Atticum: (223) *De Cæfare vicino ſcripferam ad te, quia cognoram ex tuis litteris, eum σύνταον, Quirini malo, quam Salutis.* Ænigma eſt, sed quod Oedipo non indiget. Solvit jam ita Manutius: „Vicinum appellat Cæfarem, „ſcilicet Attici, qui domum habebat in „colle quirinali, eamque prope Quirini, „templum. Cum igitur in eodem colle, „& Salutis ædes eſſet, in Quirini autem, „templo posita Cæfaris statua cum hac in-„ſcriptione: Θεῷ αὐτοῖς τῷ, ut ſcribit Dio, „CCC 5 lib.

(220) Cæſar. p. 734. D. l. 10. add. Dio Caſſ. lib. XLIV. p. 243. C. (221) Cic. ad. Attic. lib. VIII. epift. XI. s. init. & lib. IX. epift. VI. s. fin. & ad Familiar. lib. XV. epift. XIX. s. fin. (222) Plutar. Cæſar. p. 710. F. & Cicer. p. 872. C. l. 2. Dio Caſſ. lib. XLVI. p. 305. A-D. & ipſe Cicero ad Brutum epift. VI. s. fin. & epift. XIX. s. fin. (223) lib. XII. epift. XLIV.

„lib. XLIII. ait Tullius : Σύνναον malo Cæ-
 „farem Quirini, quam Salutis; id est : Sa-
 „lutis in templo Cæsarem esse nolo, ne
 „videlicet servari poscit; in Quirini volo,
 „ut ob tyrannidem, quemadmodum ille,
 „crudeliter a civibus occidatur..” Tam truci
 in Cæsarem animo fuit, quem cum antea,
 tum in primis, ex quo rerum potitus est,
 optime de se meritum passim alibi prædi-
 cat. Nolle tam tamen, in secunda Cellarii
 nobilissimarum Ciceronis orationum edi-
 tione dicere Ciceronem ad Antonium:
 (224) *Funeri tyranni illius sceleratissimi præ-
 fuiſti.* Manutii & aliorum *sceleratissime
 præfero*, ut tyrannum simpliciter nomi-
 net orator Cæsarem, ejus autem funeris
 Antonium *sceleratissime* dicat *præfuisse*.
 Sed interpellantes vos audire mihi vi-
 deor: „Non ob saevitatem, sed raptum sibi
 „imperium, ereptamque nobis & civibus
 „nostris libertatem tyrannum vocavimus
 „Cæsarem..” Ergo *tyranni* eum insignitis
 appellatione, quem christiana invult *æ-
 tas*, cum primis inde a Grotio, (225) *in-
 vasorem imperii* nuncupare. Accipio, quo-
 niā & vestro, & Græcorum obtinuit u-
 su, quem penes, ut Flaccus canit, *arbitri-
 um est, et vis, et norma loquendi.* „Hanc,
 per,,

(224) Philipp. II. p. 515. lin. 3. (225) de Jur.
 Bell. & Pac. lib. I. cap. IV. §. XV. sqq.

pergitis, tyrannidem Cæsar a prima jam,,
ætate concipiit; ad hanc sibi per omne,,
fas nefasque aditum stravit, in ore sem,,
per habens Euripidis versus: *Nam si vio-,*
landum est jus, regnandi gratia violandum,
est: aliis rebus pietatem colas; (226) hæc,,
faces ei atque calcaria subdidit, ut ple,,
bem sibi & plebis tribunos, ut dein Pom,,
pejum & Crassum, (227) ac denique,,
exercitum suum contra senatum, opti,,
mates atque rempublicam adjungeret; „
ut primo consulatu adversus auspicia, le,,
gesque & intercesiones multa, multa,,
item in collegæ Bibuli, Catonis, Lucul,,
li, Ciceronis, & quorum non sive ma,,
gistratum, sive privatorum? fraudem,,
atque dedecus gereret; (228) ut nulla,,
belli occasione, ne injusti quidem, in,,
Gallia abstineret, adeo ut dedendum e-,,
um hostibus quidam ex senatu cense,,
rent; (229) ut in hac provincia ne quin,,
quennii quidem contentus imperio alte,,
rum quinquennium qua vi, quadolo po,,
sceret atque impetraret; & tandem, ne,,
longiores simus, ut consulatum secun,,
dum præter leges & majorum instituta,,
„ab-

(226) Cic. lib. III. Offic. cap. XXI. num. 3. & Sueton. Cæs. cap. XXX. fin. (227) id. ibid. cap. XIX. fin. (228) id. ibid. cap. XX. (229) id. ibid. cap. XXIV.

„absens peteret, cumque, attonitis jam
 „omnibus, &, quorsum cuncta illa simi-
 „liaque alia tenderent, reputantibus, re-
 „pulsam ferret, inferret arma patriæ.,,
 Multa in Cæsarem & gravia dixisti; ne-
 que affirmaverim ego, conficta ea uni-
 versa esse. Vester quidem senatus deum
 fecit Cæsarem, quin Jovis, deorum sum-
 mi per summam adulatio[n]em ei imposuit
 cognomen[tum], (230) sed homo ille per-
 pes fuit, qui suis, ut cæteri omnes ho-
 mines, succumberet vitiis. Nec vera ta-
 men certaque semper, qui criminosisi-
 me eum insectari consuevit, profert Sue-
 tonius. Indicio index ille Vettius est, quem
 & induxit præmiis, ut se de inferenda
 Pompejo nece solicitatum a quibusdam
 profiteretur, &, desperantem tam præ-
 cipitis consilii eventum intercepisse vene-
 no Cæsarem, prohibet. (231) Non enim
 solum Dio Cassius (232) utriusque faci-
 noris suspicione Cæsarem liberat, omnem
 in adversarios ejus conjiciens culpam, sed
 quoque reliquorum, qui hujus rei nien-
 tationem faciunt, nemo, non Appianus
 Alexandrinus, (233) non Plutarchus, (234)
 non

(230) Dio Cass. lib. XLIV. p. 243. C. I. 2. (231)
 Jul. Cæs. cap. XX. fin. (232) lib. XXXVII. p.
 63. E. & p. 64. A. B. (233) lib. II bell. civ. p. 718.
 fin. (234) Luculla T. I. p. 520. C. D.

non ipse Cicero, quem inter eos, qui se
in Pompeji necem submisissent, Vettius
detulit, quique pro Sextio, (235) in Va-
tinium, (236) & præcipue ad Atticum
(237) fuse de eo agit, Cæfarem audet no-
minatim tantæ fraudis atque sævitiae ma-
chinatorem dicere. Contra mitem hominem
& a cæde abhorrentem excitatus modo pro
Sextio Tullius C. Cæfarem appellat; & de
qua re varios sparsos rumores, certi vero
nihil cognitum fuisse, non modo ex di-
sertis Cassii vocibus, sed & allegatorum
cæterorum narratione liquet, ea non fuit,
tanquam certa, in fraudem atque invidi-
am Cæfaris a Suetonio memoriam proden-
da. Porro vestris vos, Optimates, inju-
riis Cæfarem, ut a vobis ad plebem trans-
iret, omnibusque Pompejum, pariter vo-
bis offensum, & Crassum, ad incidentos
autoritatis vestræ nervos, affectaretur of-
ficiis, compulstis. Vociferantem eum,
magnaque testantem voce videor mihi au-
dire, *invitum se transfire ad populum, quem*
necessario, & injuriis in se senatus adductus,
cogatur observare. (238) Sed nec obtre-
ctator de eo filet Suetonius. (239) Futi-
li-

(235) p. 68. col. a fin, ed. Manut. (236) ibid.

p. 86. col. b. init. (237) lib. II. epist. XXIV.

(238) Plutarch. Cæfare p. 713. E. 1, 9. (239) Cæ-

fare cap. XI. & cap. XIX, fin.

lius nihil est, quam quod *patriam* semper
& *rempublicam*, quas bello petierit Cæsar,
& *libertatem*, quam oppresserit, in ore
habeatis. Factio syllana, tunc pompeja-
na, fuit, cui marianarum partium Cæsar
par pari retulit; (240) quæque, quia pri-
mas in patria serebat, & gubernabat rem-
publicam, speciosa patriæ & reipubli-
cæ nomina causæ suæ imposuit ac præ-
texuit. (241) Libertatem non Cæsar pri-
mus, sed ante Cæsarem multi jam alii op-
presserunt. Seneca: (242) „Quid tibi vis,
„M. Cato. Jam non agitur de libertate:
„, lim pessundata est. Quæritur, utrum Cæ-
„sar, an Pompejus possideat rempubli-
„cam. Quid tibi cum ista contentione?
„Nullæ partes tuæ sunt: dominus eligitur.
„Quid tua, uter vincat?“ Et quam lucu-
lentis alibi (243) ego planum feci testi-
moniis, Pompejum, si Cæsarem viciisset,
redditum nunquam Romanis libertatem
& rempublicam fuisse? Evolvantur Tac-
itus, (244) Plutarchus, (245) & Dio Cas-
tius.

(240) Sueton. Cæs. cap. I, fin. & cap. XI. Plutarch.
Cæs. init. & p. 709. C. F. & p. 710. A. B. Cicero ad
Attie. lib. IX. epist. XII. (241) Vell. Pat. lib. II.
cap. XLVIII. num. 4. & Florus lib. IV. cap. II. p. 157.
ed. Græv. (242) epist. XIV. p. m. 37. med. (243)
part. II. diss. de primorum cæsarum necessitate & u-
tilitate §. IV. p. 7. (244) Histor. lib. II. cap.
XXXVIII. (245) Caton. Min. p. 785. E. & Brutus
p. 997. C.

fius. (246) Neque est, quod, nec fidei,
nec juris & æqui habita ratione, fraudi-
bus vobiscum ac vi egisse Cæfarem, que-
ramini. Facilis hoc largior. Callidissi-
me semper pro acerrimo ingenio suo &
immenſa ambitione res suas instituit Cæ-
ſar. Quam astute agendo in exilium Ci-
ceroni imposuerit, non modo fugit ple-
rosque tunc ætatis viventes homines, sed
ne sapientissimus quidem Plutarchus
multo post tempore perspexit. Secus e-
nim non scripsisset: (247) „Ad Cæſaris,,
gratiam, qui cum exercitu proſecturus,,
in Galliam erat, quamvis ab ſe alieni, &,,
ſuſpecti ex Catilina temporibus, confu-,,
giens Cicero petuit ab eo, legatum ut ſe,,
duceret in provinciam. Quum recepis-,,
ſet enim Cæſar, cernens evadere Clodius,,
Ciceronei ex tribunatu ſuo, ſimulavit,,
non abhorre ſe a reconciliatione; re-,,
jectaque in Terentiam maxima culpx,,
parte, factaque ubique benigna ejus,,
mentione, & leniter agendo, quaſi non,,
odiſſet hominem, nec eſſet ei iuſſus,,
ſed modice & amice expotulareret, o-,,
mnen illius metum diſcusſit. Itaque re-,,
nuatiavit Cæſari legationem Cicero, ver-,,
titque iterum ſe ad remp. gerendam: „

,,un-

(246) lib. XLI. p. 179, D, (247) Cicerone p.
875. fin.

„unde Cæsar exacerbatus hinc corroboravit Clo-
 „dium, hinc Pompejum plane a Cicerone alie-
 „navit.” Vix oculis meis fidem habebam,
 hæc apud eum legens, apud quem paulo
 ante (248) legissim: „Inter acta in consu-
 „latu Cæfaris visum födissimum, quod
 „Clodius tribunus plebis designatus fue-
 „rit. -- Designatus est ad obterendum Ci-
 „ceronem. Nec prius in provinciam pro-
 „fectus Cæsar est, quam socio Clodio Ci-
 „ceronem factione oppresisset, atque
 „Italia exterminasset.” Vedit heic, vi-
 „dendumque in Cæsare exhibuit alterum
 Ulyssem Dio, (249) cuius paucula modo
 excerptam: (250) „Deceptus a Clodio,
 „quanquam prudentissimus haberi vole-
 „bat, Cicero est, si modo id Clodio, ac
 „non Cæsari potius, aliisque, qui cum
 „Clodio conspiraverant, adscribendum
 „est.” Et iterum: (251) „Potentem
 „quemque, non tantum sibi faventem,
 „sed quoque adversarium, præcipue vero
 „Pompejum ac Cæarem, interdiu noctuque
 „circumcurritans Cicero studiose colebat.
 „Atque hi quidem, simulantes, neque
 „Clodium a se summissum, & leges ejus
 „sibi,”

(248) Cæsare p. 714. D. 1. 2. (249) lib. XXXVIII
 pp. 67-69. coll. Vell. Patrc. lib. II. cap. XLV.
 num. 2. (250) p. 67. C. 1. 9. (251) p. 68. 1. 4.
 sqq.

sibi displicere, eam fraudem adver-,,
sus Ciceronem excogitaverunt, quæ &,,
illum lateret, & sibi dedecori non esset.,,
Nam Cæsar Ciceroni consilium dedit,,
ut se subduceret, ne, ad urbem manen-,,
do, in perniciem deveniret. Adque id,,
quo magis ex benevolentia consulere vi-,,
deatur, legato se eo usurum, dixit, ut,,
jam non, tanquam reus cum ignominia,,
sed honeste & cum imperio Clodium,,
subterfugeret. Contra Pompejus, id qui-,,
dem aperte esse fugam, dicebat, & ob-,,
scure Cæarem, qui animo inimico ei,,
non recte consuleret, notabat: siadebat,,
autem ipse, ut ad urbem maneret, & - -,,
Denique Cicero, gratiis Cæsari actis,,
Pompeji fecutus est sententiam; atque,,
hanc conjectus in fraudem, ita se compara-,,
vit, &c., Verum an major senatus, &
qui instar totius erat senatus, Pompeji er-
ga Cæarem fuit fides? Hunc vaferimum
occultissimumque virum & senatum sæpe
populumque romanum circumvenisse, &
Cæarem dolo ante atque insidiis: quam
& aperto Marte eversum ivisse, pasim au-
tores, (252) & in primis Appianus Alexan-
T. II. P. IV. D d d dri-

(252) Plutarch. Pompejo p. 635. init. & p. 649. D.
ac Cæsare p. 721. C. &c. Dio Cass. lib. XXXVI. p. 11.
C-E. lib. XXXIX. p. 102. B-E. p. 103. E. lib. XI.
p. 147. init. &c.

drinus (253) commemorant. Certe sum-
tis armis civilibus fidem Cæsar vel perfid-
is hostibus suis servavit, quod nec infi-
tiari Suetonius audet, qui: (254) „Mo-
„tis, inquit, apud Ilerdam deditio-
„nibus, cum, asiduo inter u-
„trasque partes usu atque commercio,
„pompejani duces, Afranius ac Petrejus
„deprehensos intra castra Julianos inter-
„fecissent, admissam in se perfidiam non
„sustinuit Cæsar imitari.“ Civilium vero
armorum culpa penes vos denuo, o Se-
natus, hæret; qui priores hostem decla-
rasti Cæsarem, & suo sanctissimo jure
intercedentes pro ipso plebis tribunos per-
vim curia atque urbe expulisti. Quare
quid aliud vobis ad utrumque respondeam,
quam Nasonis illud: *Iudice me, fraus est
concessa, repellere fraudem, armaque in
armatos sumere jura sinunt?* Nec mi-
nus in eo peccatis, quod tam potentem
ipsi reddidistis Cæsarem, ut vi tandem a-
gere vobiscum posset. Tum decuit, cum
imperium ei & dabatis & prorogabatis,
vobis ab eo metuere. „Si res publica,
„inquit Cicero, (255) nunc defendi-
tur“

(253) lib. II. bell. civ. p. 728. s. med. & pp. 732,
733. (254) Cæs. cap. LXXV. s. init. (255) lib.
VII. ad Attic. epist. III. p. 166. col. a. lin. 16. coll.
ibid. epist. VI. p. 169. epist. VII. s. fin. p. 170. &c. &c.

„tur, cur ea, consule isto ipso Cæfare,
„defensa non est? Cur imperium illi, aut
„cur illo modo prorogatum est? Cur tan-
„topere pugnatum est, ut de ejus absen-
„tis ratione habenda decem tribuni plebis
„ferrent? His ille rebus ita convaluit, ut
„nunc in uno civi respublika ad resisten-
„dum imbecilla sit: quam mallem, tan-
„tas ei vires non dedisset, quam nunc
„tam valenti resisteret.,, Veruntamen da-
bo vobis, injustissime Cæfarem imperium
romanum invasisse, an occidendum idcir-
co a vobis fuit? Syllam patres vestri ne
tum quidem duxerunt occidendum, cum,
dictatura deposita, privatus denuo inter
ipsos viveret, atque in foro & comitiis
versans corpus suum cuilibet ad necem in-
ferendam opportunum præberet. (256)
Atqui imperium hic nec melius accepit,
& tenuit longe pejus. Qui summam po-
testatem eripuit tyrannus, ejus nemini,
nisi cui erecta est, puniendi jus compe-
tit. (257) Jam summa potestas, sive ma-
jestas apud Romanos totius fuit populi,
ad quem provocare a senatu omnibusque
magistratibus licebat. Demonstrandum
ergo vobis, Conjurati, est, totius po-
puli jussu pro erecta sibi majestate vitam

D d d 2

vos

(256) Plutarch. Sylla p. 473. F. (257) Grotius
jur. bell. & pac. lib. I. cap. IV, §§. XVIII. & XIX.

vos Cæsari eripuisse. Inscriptum quidem prætorio tuo, Marce Brute, tribunali fuit: *Dormis, Brute; &: Non es germanus Brutus;* itemque: *Largitionibus, Brute, corrumperis;* subscriptum insuper Luc. Bruti, regum expulsores, statuæ: *Utinam viveres!* vel: *Utinam nunc adesses!* ac porro: *Degeneres habes posteros; &: Non eorum es progenitor.* (258) Sed qua veri specie affirmaveris, sciente illud volenteque universo populo, aut certe potiori ejus parte factum esse, cui, ut vidimus, cædes Cæsarum, simul atque facta est, displicuit, quique percussoribus ejus infensus fuit, atque implacabilis? Diserte Suetonius, (259) quod *quidam modo subscripterint,* testatur. Crediderim ego, perditissimam & infamam populi ficem, quæ inimica semper quieti est, & studia sâpe in contraria præceps ruit, aut potius Cassii instinctu ejus clientes inscriptionum illarum fuisse autores. Nam hunc Cassium, omnes consentiunt, privato quodam in Cæsarem odio incensum, facinoris machinatorem primum extitisse; cumque solicitanti ad illud amicos suos annuisset ne-

(258) Plutarch. Cæs. p. 737. C. & Brut. p. 988. s. init. Dio Cass. lib. XLIV. p. 246. B. App. Alex. lib. II. bell. civil. p. 812. s. med. & Sueton. Cæs. cap. LXXX. s. fin. (259) loc. cit.

nemo, nisi dux ipsorum atque caput tu
futurus esses, mendacissimo tibi ore dixit:
(260) „An temet ipse ignoras, Brute, „
aut in tribunali tuo a *textoribus* ista putas, „
aut a *cauponibus* inscripta, ac non facere, „
id *principes & optimates*? A *prætoribus*, „
aliis congiaria, spectacula, munera gla- „
diatorum; abs te, velut debitum hære- „
ditarium, tyrannidis exigunt oppressio- „
nem: qui subire pro te omnia parati sunt, „
si, qualem esse volunt & expectant, ta- „
lem te præstiteris. Nihil ad te antiquus
ille, qui regium imperium opprescit,
Brutus. Scite Plutarchus, (261) quod
οἱ πολλοὶ, imperita multitudo *existimaverit*, „
ab illo te genus paternum ducere. Ne- „
que enim vere duxisti. Dio Caslius:
(262) „Quia hic Brutus idem cum no- „
bili illo Bruto, qui Tarquinios quon- „
dam everterat, nomen gerebat, multa, „
prodiderunt, *ψευδῶς*, *falso* ipsum jactan- „
tes illo oriundum esse. Neque enim,
progeniem primus reliquerat Brutus, „
sed, quos filios habebat, duos filios, „
adolescentulos etiamnum, ipse interfe- „
cerat. Verum hoc quidem *οἱ πολλοὶ*, im- „
perita iterum *multitudo*, ut ad simile fa- „

D d d 3

ci-

(260) Plutarch, Bruto p. 988. D. I. 4. & App. Alex.
lib. II. bell. civil. p. 812. fin. (261) Cæsar. p. 736
fin. (262) lib. XLIV. p. 245. fin.

„cinus, quasi id generi suo conveniret,
 „hominem excitarent, ἐπλάτησαν, com-
 miniscebantur.“ Quid quod ne patre qui-
 dem Bruto, sed potius Cæsare, ut dixi-
 mus, videre satus esse, tu autem vel non
